HISTORIA FEBRIS MILIARIS, ET DE HEMICRANIA DISSERTATIO.

AUCTORE
JOANNE FORDYCE, M. D.

Χρὴ δὲ καὶ αὐτὸν τινὰ ξυνευπορέειν, μὴ πάντα ἀλλοτρίῃ ξυγγραφίῃ προσίσχοντα τὸν νέον.
ΑΡΕΤΑΙ. ΚΑΠΠΑΔ. ΟΞΕ. ΝΟΥΣ.

ACCEDIT DE
MORBO MILIARI
EPISTOLA

CAROLI BALGUY, M. D.

LOVANII,
TYPIS ACADEMICIS.
M. D. CC. LXV.

Superiorum Permiſſu.

22,911

HISTORIA FEBRIS MILIARIS.

De Febre Miliari ſcripſêrunt non pauci, & illi ſic peritè quidem, ut primo intuitu ſupervacuum forſan pleriſque videbitur quidvis hâc de re ulteriùs proferre.

Hi tamen ſi diligentiùs paulò reputaverint inter varios nondum exſtare ſcriptores hiſtoriam morbi abſolutam per diverſas ejus periodos, & phaſes; quæque plenam complectitur & accuratam ejus picturam per ſingulos quoſque gradus, & decurſum, unà cum ſubſidio, & cura quæ poſtulat unuſquiſque : quumque forſitan vel perſpicacitas in obſervando, vel ſolertia in tractando nuſpiam magìs deſideretur quàm in Febri Miliari genuina, ſi periculum perpendamus

in omni morbi tempore, omni caſu, ſingu-liſque ad eum ritè curandum pertinentibus: hæc, inquam, diligentia quâ decet, probè ſi penſitaverint, nulla ratione de lectoris candore ambigo, ſi quæ ex aliis didici, vel multâ & attentâ experientiâ ipſe probavi, in unum faſcem congeſſerim, quò tandem morbi uberior prodeat deſcriptio, quàm hactenus, quantùm novi, exhibita eſt.

Et profectò hoc tantò utilius fore exiſtimo, partim quòd noſtro ſeculo non deſint, qui, quoniam mentes hominum ſuis dogmatibus aut deliniri vellent, aut etiam abripi, ipſam mali exiſtentiam prorſus renuunt; partim quòd pleriſque quorum intereſt, minùs notum id ſit, quamvis vix aliud frequentius in utroque ſexu, omni ætate, temporeque, ſive ſeorſim, ſive aliis morbis intertextum reperiatur, immo aliquando epidemicè graſſetur.

Autumârunt è contra nonnulli, inepto aliis in vitiis regimini, præcipuè calido, illius ortum unicè deberi: quod hercle tantò magìs miratus ſum, quia temperantiſſimis, vel tenui etiam diætæ deditis, aliiſve morbis detentis, ſe incautè aëri liberiori exponentibus, vel quibus abundat humor ſeroſus admodum ac iners, præcipuum faceſſat negotium; quòdque præ cæteris invadat Puerperas, diætâ diu ante partum aquosâ ſæpe uſas, & ad dies ſaltem aliquot poſt illum exactum, jamque ditiori fervidiori ſan-

guine, dum parturiant, aut brevì poſt exantlatas.

Nec minùs obſervanti patet quòd ſæpenumero, immo ut plurimum, per ſe, nullo cum alio morbo compoſitus, invadat valentes optimè, eoſque nec gulæ deditos, nec exercitatione exæſtuantes.

Denique quòd aliquoties reperiatur malum magnopere epidemicum, cui præcavendo nondum ſanè ſuffecerint etiam lynceis præditi oculis, ſi qui ſint, homines, utpote ἐν τῷ θείῳ morborum, perindè ac maximè idiotæ, cæci.

Neutiquam ignoro, inter multos in ſanando præcellentes non convenire, morbum, de quo loquimur, ſui eſſe generis: potiùs opinantur alterius eſſe ſymptoma, ejuſque mali quidem moris, nec præterea quidvis, tantòque magìs, cùm obſervaverint eruptiones huic ſpeciei peculiares non rarò alia vitia vel excipere, iiſve conjungi, nec certis diebus expelli, ſicut fit in aliis aliquot morbis, qui eruptionem oſtendunt.

Quibus non obſtantibus, *Morbum Veſicularem* idiopathica fovere & prodere ſigna, toto cælo diverſa ab iis quæ in aliis exhibentur, in promptu eſſet demonſtrare. Ut alia prætercam, quis morbus noſtro ac eruptivis aliquot exceptis, tantum præ ſe fert languorem, ſpiritûs difficultatem, mentis alienationem, circà præcordia oppreſſionem, in ventre tormina, ſudores effuſos,

horrores exanthemati præeuntes, eoſque repetitos, & cætera quæ ſimul ſumpta noſtrum vitium conſtituunt, quæ verò ampliùs exhibere non hujus eſt loci? Hæc attamen cuncta, eruptione feliciter cedente, pari paſſu ſedantur.

Tacemus quòd puerperæ nulla alia labe ægrotantes ſic frequenter hâc corripiantur, & ritu quidem ſibi proprio: quòd regimen malo huic aptum pleriſque aliis minùs ſit idoneum; quòdque veſiculæ miliares ſæpe nullo alio conjungantur morbo, niſi harum ſymptomata characteriſtica pro illo ponantur.

Tradidère quidem alii non pauci in arte benè exercitati febrem hanc veſicularem, quam tractare noſtrum inſtitutum eſt, ultimi ſolummodo ſeculi fuiſſe ſobolem.

Ut ingenuè quod res eſt, quantum videtur, concedamus, etiamſi origine longè vetuſtiore eſſe nequeo mihi non perſuadere, an Febris tamen Miliaris genuina priſcos inter medicos cognita fuerit? Nodus equidem eſt, cui me fateor ſolvendo imparem.

Iis, qui antiquorum medicorum monumentis impensè incubûere, notum eſt, eos leviter tantùm hujus veſtigia exhibuiſſe; ubicunque enim *ἐξανθήματα*, vel *ἐκθύματα κεγχρώδεα*, *ἐρυθήματα*, vel *ἵδρωα* memorant, arduum mehercle videtur definire, an ſui generis fuerit morbus, an ſymptoma alieni cujuſpiam, ac qualis ſpeciei tandem fuerit

eruptio, adeo pauca, eaque tam indefinita de hac perhibent.

Liceat tamen quædam ex antiquis decerpta in notis conferre, quæ *Exanthemati Miliari* proximè accedere videntur, quò ex iis lector dignoſcere poſſit, quæ, quantumque eruptioni veſiculari hujus ævi conveniant, vel ab ea diſcrepent

Priùs verò quam progrediamur, haud præter rem erit hìc in limine paucis oſtendere, quid per Febrem Miliarem aut veſicularem in ſequenti diſſertatiuncula velimus intelligi.

Morbus igitur cum ſignis febri propriis accedit, inſequenti eruptione Miliari incerto quodam die, quæ tamen expleto triduo, ſeriùſve, cum veſiculis exiguis, limpidis, albis, vel rubicundis ſe monſtrat, exactiſque ſeptem, pluribuſve etiam diebus, deſquammatur; quando febris, quam languores & oppreſſiones præibant, & comitabantur, ſimul judicatur. Definitio Febris miliaris.

Quæ apud parentem primum ac medicorum principem Hippocratem, ejuſque interpretes, præcipuè occurrunt de eruptionibus Miliaribus in notis collocavimus. (*a*)

(*a*) In hiſtoria de Sileno narrat quod octavo die frigidus ſudor per omnia membra diffuſus eſt cum puſtulis rubentibus, (ἐξανθήματα *

* Ἐξανθήματα, papulas vel eruptiones dicere potui cum Plinio, qui Dioſcoridis Ἐξανθήματα ſic vertit, crebriùs verò pituitæ eruptiones. *Vide Foëſ. in locum eundem.*

μετα ἱδρῶτος ἐρυθρὰ ϛρόγγυλα) rotundis parvis, varis non abſimilibus, quæ *permanebant*, * neque abſceſſum faciebant. *Hippocr.* 1. *Epid. Sec.* 3. *H.* 2.

In auſtrina iſta conſtitutione quæ cranone fiebat, ſanies quidem plurima cuti ſubnaſcebatur, quæ initio concluſa, dum incaleſceret, pruriginem excitabat, deinde verò in puſtulas érumpebat, iis affines, quæ in ambuſtis fieri ſolent. § *Hipp. Epidem. Lib.* 2di *Sect. prim.*

Commemorat etiam *Eruptiones Miliares* ſe vidiſſe in Perintho æſtivo tempore non infauſtas.

In febribus nempe æſtivis, circa ſeptimum, octavum & nonum diem, aſpredines quædam Miliaceæ, ** culicum morſibus ferè ſimiles, quæ tamen non valde pruriebant, in ſumma cute ſubnaſcebantur, & ad judicationem uſque permanebant.

Ac ne §§ eæ quidem maſculorum ulli erupe-

* *Permanebant.* Hoc autem verbum apertè ſignificat non eſſe facta tum primùm, ſed aliquot ante dies. His autem naſcentibus nil magis ſentitur, quàm anxietas quædam maxima & jactatio : atqui ſupprimi evacuationes conſuetæ ſolent cùm natura in partem aliam tentat novum motum, Febris autem, cùm hæc excerni incipiunt, mirum in modum creſcit, ex quibus conjecto exanthemata hæc ſexto die orta eſſe. *Vide comment. Valleſ. in loc. citatum.*

§ Καί ἀπεγίνοντο μὲν ἐν τῷ δέρματι ἰχῶρες, &c. ἐιτα φλυκτάινιδες, ὥσπερ πυριήκαυϛοι διανίϛαντο. ¶

** Τρηχύσματα ἐν τῷ χρῶτι Κεγχρώδεα τοῖϛι ἀπο κωνώπων γινόμενοις μάλιϛα ἴκελα ἀναδήγμασι ὀυ πάνυ κνησμώδεα.

¶ Φλύκταιναι Hippocratis ſunt Puſtulæ in ſumma corporis cute enaſcentes, &c. ſunt demum iis ſimiles quæ ex ignis uſtulatione oriuntur, quales ſunt quæ Hippocrates ἴδρωα vocat, nos ſudamina aut papulas ſudorum cum Plinio rectè dicemus. *Vide Foëſium in locum citatum.*

§§ Hæc Papularum origo populariter graſſantibus morbis admodum familiaris eſt, atque indè non temerè ſuſpecta eſſe

runt. Mulier verò, cui talia fierent, nulla mortua eſt, hebetiori tamen erant auditu, & ſoporoſæ, quamvis non antea admodum ſoporoſæ eſſent, quibus iſta evenire debebant, neque verò in totum perſeverabant; æſtate verò etiam ad Vergiliarum occaſum in ſoporem & ſomnum pronæ erant, poſtea quippe inſomnia magìs urgebantur, &c.

Alvum igitur non licebat ne per ea quidem quæ aſſumebantur ſiſtere, ſed eam quæ præter rationem fieret medelam conferre poſſe facilè quis exiſtimâſſet, quamvis permulta quibuſdam procederent ex illo, qui cubili frigido ſubſtrato fiebat decubitu. *Hip. Epid.* 2. *S.* 3. *Ed. Foëſ.*

In ſtatu peſtilenti auſtrina cum Eteſiæ disjunctim ſpiravere, carbunculi æſtate multi, & *μεγάλα ἐκθύματα* (*i. e.* magnæ Puſtulæ pullulabant) *Vide Hipp. Lib.* 3. *Epid. Sect.* 7.

Euphranoris filio puſtulæ culicum morſibus non abſimiles erupêrunt, verùm pauco tempore duraverunt, poſtridie febris invaſit. *Vide Hipp. Epid.* 5. *Sect.* 7. *Foëſ.*

Ante Vergiliarum occaſum Andream Febris ſemitertiana corripuit, &c. —— Ad diem vigeſimum quintum Puſtulæ pruriginoſæ calidæ, velut ambuſta cute, ſenſim exortæ ſunt (*ἐξανθήματα κνησμώδεα θέρμα, ὥσπερ πυρίκαυςα*) dolor autem axillas & latera occupabat, in crura citra ullam ſignificationem tranſiit, & deſiit. *Vide Hipp. Epid.* 7. *Foëſ. Interp.*

ſolet, quòd febrium ardentium & maximè putredinis ſpecimen exhibeat. *Vide Foëſ. in eundem locum.*

Proſper Martianus teſtatur quoque ſe vidiſſe ſæpius aſpredines haſce in febribus, & maximè ardentibus, aliquando tamen etiam ſine febre, & opinatur has Hippocratis fuiſſe non abſimiles iis, qui ſudamina appellantur, in quibus cutis cum pruritu attollitur, & exaſperatur, cùm ſatis ſimiles ſint illis eminentiis quæ à culicum puncturis in cute erumpunt. *Vide Proſp. Mart. in loco cit.*

Secundùm Celſum puſtularum plura genera ſunt : nam modò circà totum corpus, partemve aſpredo quædam fit ſimilis his puſtulis quæ ex urtica, vel ex ſudore naſcuntur Ε'ξανθήματα Græci vocant : eæque modò rubent, modò colorem cutis non excedunt. (*b*)

. Aëtius proximè poſt illum ex Herodoto hæc habet quæ infra notantur. (*c*)

(*b*) *Vide Celſi Medicin. lib. V. cap.* 15.

(*c*) Efflореſcunt Puſtulæ, in ipſarum Febrium principio, non mitiorum ſed earum quæ a multis depravatis humoribus accenduntur : in univerſo corpore, aut pleriſque in membris apparent puſtulæ parvæ vibicibus aut culicum morſiunculis ſimiles, omnes depravatorum humorum, & habitum erodentium multitudinem indicantes.

Cenſuit has ſtatim à principio, niſi quid obſtiterit, ſanguinis miſſione curandas eſſe : conſuêrunt enim ſi retroceſſerint perniciem afferre, niſi vomitu, aut per ſeceſſum vis humorum pellatur.

In acceſſionibus verò ob ingentes circà ſtomachum eroſiones tepidâ propinatâ, aut pennâ intromiſsâ vomitum provocabimus, & alimenta contemperandi vires habentia, ſicut ptiſanæ cremorem, aut chondram cum mulſa exhibebimus.

Quòd ſi febris ardens ſimul vexaverit, univerſum corpus hydrelæo, portiunculâ nitri admiſtâ inungemus ; Puſtulas enim circà ſuperficiem detinet, & profundam materiam attrahit,

Haly-Abbas circà annum æris Chriſt. 985. quædam tradit huc forſitan ſpectantia, ut in notis videri poteſt (*d*).

Et hæc quidem ex antiquis recenſuiſſe jam ſatis ſit. Quæ ſequuntur certiùs ad morbum noſtrum pertinent, ejuſque æram quodam modo ſtatuere videntur.

Circà annum 1550. Franciſcus Valleſius

---

intimaſque partes refrigerat, ac ſæpe ſudore allato, ingens acrium humorum copia difflabitur.

In declinatione purgante medicamento materiæ idoneo corpus evacuabimus, deinde Theriacam antidotum exhibebimus, aut Mithridaticam. Nonnunquam etiam Puſtulæ quædam oriri ſolent rotundæ, inæquales, ſubalbidæ, aut ſubrubræ, duræ cum elevatione carnis, &c. Plerumque febrem intermittentem conſequuntur, & omnino mitiorem indicant morbum: ideo ægrum opportuno tempore perquam calidam aquam ingredi oportet, &c. At quæ in facie, & thorace, & lateribus, & ventre, & ſcapulis redundant, à principio ſtatim ne curato, ſed variè rem trahito, &c. Et ſi uſque ad morbi vigorem perſtiterint neque ad pejus declinaverint, non omnino ſunt negligendæ, licet perquam raró, &, cautè curandæ ſint. *Vide Aët. de re med. L. 5. C. 130.*

(*d*) Ait Rubeolas eſſe tubercula exigua, & rubra, quæ quandoque ſola cum calore & tuſſi invadunt, &c. Oriuntur à ſanguine calido, & ſubtili non multùm malo, & cùm ad ſtatum pervenerint, ſimiles fiunt granis *Milii*, nec aperiuntur, ſed inſenſibiliter diſcutiuntur, & evaneſcunt. *Vide Lib. 8. Theor. C. 14.*

Philippi ſecundi Hiſpanorum regis in ſuis commentariis ad epidemica Coi ſummi, de conſtitutione febris in Perintho jam recenſitæ hæc tradit quæ morbo miliari omnino congruere crediderim (*e*).

Idem circà tempus ejuſmodi purpuras obſervavit Petrus Foreſtus, qui in libro de morbis populariter graſſantibus hæc habet (*f*).

(*e*) Una quædam inſignis abſceſsûs ſpecies ſupervenit horum plurimis, æſtivis febribus circà ſeptimam, octavam & nonam; aſperitates ſcilicet in cute milii granis ſimiles, culicum morſibus maximè ſimiles, non admodum pruriginoſæ. —— Hæ, ut ex hac deſcriptione & accidentibus, quæ mox narrat, conſtat, erant illæ, quæ Hiſpanis novato nomine, vocantur *Tabardillo*, &c. —— Superioribus annis fuit hoc malum in Hiſpania frequens; malum alioquin rariſſimum, uſque adeò, ut tunc temporis primùm videretur morbus cum nomine natus. Tunc obſervavimus, illis, qui eo malo affliguntur fieri hæc quæ narrat Hippocrates ſymptomata; nimirum antequam erumpant maculæ, anguntur plurimùm, & vigilant ægroti, ſucco qui interiùs ſecernitur, & cujus natura parat expulſionem, lædente viſcera: poſtquam erupêrunt, & dum erumpunt, delirant, & comatoſi fiunt; differentia colorum malignitatis vitii monſtrante differentiam. *Vide Fr. Valleſ. in Hip. Ep.* 2. *L. S.* 3.

(*f*) Purpuræ ſolent nonnunquam in febribus malignitatem præ ſe ferre, quandoque ſunt criticæ in febribus ſynochis, aliiſque; & ubi apparent per totum corpus poſt ſigna coctionis,

Eodem ſeculo, brevìque poſt peritiſſimus Ballonius cernebat horrenda ſymptomata, venenata (g) nam tum exſtabant exanthemata.

---

plerumque morbi ſolutionem decernunt : oportet igitur eas evocare iiſdem remediis quibus variolæ & morbilli foras educuntur : & ſimul monet, præcipuè ex duobus exemplis puerperarum, ne frigore incautè admiſſo, ſudamina & purpuræ intus revocentur, quocumque modo enim repercutiuntur, motum naturæ impedientes, facilè lædere poſſunt, & graviſſima quoque ſymptomata inducere : ex repercuſſis enim in puerpera papulis rubentibus, ſtomachi dolor, cardialgia, præcordiorum anguſtia, pulſus debilis & ſyncope aderant : quæ omnia tamen propulſis foras ruboribus ceſſarunt; aliquid diverſi tamen putat has habere, ab iis quæ à Fernelio Hydroa * dicuntur. *Vide Obſerv.* 59. *&* 60. *Lib.* 6. *cum Schol.*

(g) Febris enimvero tunc adeſt aſſidua, nunc ad manum mitis, nunc acerrima & adurens, vocis raucedo, oculorum aliquando caligines, & mox ardor eorundem, corporis totius deflagratio, jactationes, laſſitudo ὀςόκοπος, ἀλυσμὸς uterque, membrorum veluti quaſſatio, & confractio, aliquando faucium exulcerationes, ac veluti anginæ metus; propenſio in ſomnum, ſed eum turbulentum, oculi lachrymabundi & lucem refugientes, inappetentia ſumma, multorum & variorum vomitiones, alvi aſtrictio ali-

* Apud Fernelium hydroa vel ſudationes ſunt puſtulæ aquoſæ, quæ repente emergunt ſparſim toto corpore, ſed frequentiùs in manibus pedibuſque, milii magnitudine, aquâ plenæ, ſine rubore, ſine ullo dolore, & fiunt ex ſudoribus ſub epidermide coërcitis, per cujus ſpiracula ii digeri minimè poſſunt. *Vide Johan. Fernel. Path. L.* 7. *C.* 5.

Haud prætereundum hìc cenſeo morbum, naturâ quidem omnino à noſtro alienum, quamvis eodem nomine innotuerit. Eum longa indagine pertractavit Paulus Neucrantzius; iſque in urbe Roſtochienſi, ac provinciis vicinis, annis reparatæ ſalutis 1638., & 1639., epidemicè graſſatus eſt, cum ſtrage admodum funeſta. Referendus potiùs eſt ad febres petechiales, vel puncticulares, quæ non procul ab ipſa peſte abſunt, & de quibus Fracaſtorius, Tilingius, aliique multis egerunt.

Gott-fried Welch morbi miliaris primus in Germania meminit (*b*).

---

quando, aliquando fœda illuvies, corporis pruritus, & veluti acicularum puncturæ; tuſſis, & prout venenum magìs has, aut illas partes appetit, ita varia excitat in variis ſymptomata. *Vide Ballon. Conſil. Medic. Lib.* 2.

Et hæc quidem diverſis oborta ſunt annis, nunquam tamen majore cum clade, quàm autumno 1577. feraciſſimo exanthematum puerilium, ex qua peribant omnes, & non proficiebat hilum ars ea, quæ multis auxilio eſſe ſolet. Tanta ſeri venenati erat malignitas! antequam clades iſta invaſiſſet, viris & majoribus apparebant maculæ, ecthymata, *miliares puſtulæ*, & cætera id genus, idque æſtate maximè, ſed nullum id afferebat periculum. *Vide Ball. Epid. & Eph.Lbi.* 2.

De harum eruptionum cura quæ prodidit, poſt hæc videbimus.

(*b*) *Vide Diſp.Vom.Friezel Lipſ.* .1657., *in* 4to.

Morbus (*i*) qui anno 1665. infantibus adeo fuit noxius in Polonia, non minùs quàm *morbilli ignei* dicti, qui in agro Ligiobrigenſi anno quadrageſimo ſecundo præteriti ſeculi, & poſtea maligni fuerunt, mihi (pace manium illorum, qui de his aliquid prodiderunt) ad anginam ulceroſam, potiùs vel ſideratam referri videntur, quàm ad febrem de qua hìc ulteriùs agendum eſt. Malum hocce ſingulare portentum circà annum 1671. viſum eſt (*k*).

Atqui non ita diu poſt frequens ſatis idem infortunium expertæ quoque ſunt Batavia, Helvetia, & Sileſiæ oræ.

Secundùm Etmullerum eſt hæc febris benigna, ſeu ſcorbutica, vel maligna febri continuæ malignæ juncta. Peritus author accuratè ſymptomata utriuſque deſcripſit circà annum 1675. (*l*)

Febrem purpuream dictam, quæ variis ſeſe maculis, & ipſa exſerit nunc pallidioribus, nunc rubicundioribus, tandem etiam nigris Pechlinus malignam eſſe & periculoſam nullus dubitat.

Quanquam circà Annum 1685., Stutgar-

(*i*) *Vide Obſervat.* 42. *Miſcell. Nat. Curioſ. anni ſexti.*

(*k*) *Vide Caroli Raygeri Obſer. Miſcell. Nat. Curioſ. anni tertii.*

(*l*) *Vide Etmul. de feb. purpur. Coll. Pract. Cap.* 9.

diæ ſimul ſemelque ſeptingenti cum exanthematum genere morbillis ſimili conflictati ſunt, pauciſſimis tamen fuit exitio. Quo etiam in levibus contagium, aut ſporadicum quid hærere intelligas (*m*).

In febre epidemica petechiali quæ anno 1683. Poſonii graſſata eſt, conſpicienda exanthemata erant, nonnunquam ſparſim, nonnunquam confertim, milii ſolis, & ſudaminum inſtar, *Aſpredines Miliaceæ* dictæ, quæ etiam malæ per ſeptem, octo, novem dies: &c. quemadmodum narrat Andreas Loëw.

Cum febre epidemica Hungariæ vidit idem anno 1697., maculis petechialibus rarioribus exiſtentibus, puſtulas miliares parvas albas acuminatas innumeras exceſſivam ſanguinis ebullitionem nec non malignitatem latentem prodentes, & 15to die prægreſſis vix momentaneis convulſionibus funeſtas (*n*).

Cladem, quam intra Saxoniæ fines maximèque Lipſiæ ea intulit, ſequentibus depingit Chriſtianus Joannes Langius Lipſiæ profeſſor; qui multa in medicina congeſſit poſterioris ſub exitum ſeculi.

Ejus invaſione tam teneræ quàm provectæ

(*m*) *Vide Pechlini Obſerv. Med.* 19. *Libri* 2^{di}.
(*n*) *Vide Deſcriptionem ejus à patre Caroli Friderici Lœw.*

vectæ ætatis, ac utriuſque ſexus homines ſæpe extinguuntur: inter omnes tamen primariò ſternit puerperas, quibus majore minatur malo, & olim ſtrage enormi, atque funeſta exſtitit terribilior, cùm ingentem tot fæminæ ſuſtinuêre cladem (*o*).

Commemorat idem quoque hoc exanthema ſucceſſiſſe petechiis, in epidemica ſuo tempore petechiali, multoſque Lipſiæ interfeciſſe (*p*).

Ad finem Septembris, nec non Octobris initio febres continuæ puſtuloſæ plurimos in adulta æquè ac in puerili ætate conſtitutos cum præcordiorum anguſtia invaſerunt, puſtulis albicantibus in cuticulæ tandem deſquammationem abeuntibus (*q*).

Ineunte ſeculo præſenti David Hamilton primus deſcripſit accuratiùs hunc morbum, jam noſtris pernicioſum. Quanquam enim Sydenhamus & Mortonus ejus quidem meminerint, pede tamen ab utroque tranſitur adeò ſicco, ut tunc temporis minùs invaluiſſe crediderim quàm ævo noſtro.

Illius eruptiones miliares in ſuperficiem corporis in nova febre ſe diſpergunt, morbillis haud multùm abſimiles, niſi quòd rubent magìs, & quando recedunt ſquam-

(*o*) *Vide Diſput. Joan. Chriſt. Lang.* 44.
(*p*) *Vide ejuſdem Diſput.* 28.
(*q*) *Vide Conſtit. epidem. Aug. an.* 1704. *D. Schroëkii.*

mulas iſtas furfuraceas, quæ in morbillis cernuntur, haud relinquunt: licet hæ ſponte ſua nonnunquam ingruunt, ſæpiùs tamen lecti calore, & cardiacis extorquentur. (*r*)

Hic Variolas pejoris notæ, & febribus interſperſas fuiſſe paſſim tradit, tumque auctum diſcrimen (*s*).

Denique cùm jam per præterlapſos noviſſimè quinquaginta annos, latiùs tum in noſtra inſula, tum alibi terrarum ſeſe morbus protulerit, planiùſque innotuit, nihil opus eſt ejus hiſtoriam ulteriùs proſequi: Juvat potiùs lectorem ad eos referre, qui de vitio ſcripſerunt. (*t*)

Quæ ex illis contulimus, nobiſve multâ curâ & experientiâ notare licuit, lectorem ne pigeat candidè intueri.

Propoſita priùs igitur ſymptomatum ſerie, vitii comitum, quibuſque ab aliis manifeſtò diſcrepat, ut primo intuitu ejus pateant genius atque natura; ad illud ulteriùs illuſtrandum properabimus, quò tum morbus, tum medela ſuccinctè quantùm poſſumus conſtruantur.

(*r*) *Vide Schedul. monitor. Sydenham. de novæ febris ingreſſu.*

(*s*) *Vide Morton. de variol. & febribus paſſim.*

(*t*) *G. Wedelium, D. Hamilton, Fridericum Hoffmannum, Junckerum, Fickium, Albertum Blackmore, Mead, Huxham, Glaſs, Mithridatis ſubditum, Joannem Fridericum, Rudolphum Schachtler, cæteroſque.*

Commodè quoque hìc præmittere viſum eſt, quales potiſſimùm oculatiſſimi medici hoc ægrotaſſe, docuerunt: poſſunt enim quædam ſubeſſe corpori vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo affectu, quæ vel in alio non ſunt, vel in hoc aliàs non fuerunt, eaque per ſe non tanta, ut concitent morbum, tamen obnoxium magìs aliis injuriis corpus efficiant. (*v*)

Quotieſcumque in ſequenti ſchedula mentio inciderit de purpura alba, febri miliari, aut veſiculari, intelligimus morbum his ſignis conſpicuum, quorum nonnulla, aut pleraque adſunt per totum ejus decurſum, & quorum ope facilè ab aliis dignoſci queat.

Incertæ horripilationes & æſtus per viciſſitudines, pulſus celer, inordinatus, inquietudines, dolor capitis, vigiliæ, ſomni perturbati, dementia, aut coma; ſitis, circa præcordia oppreſſio, languor corporis ſitu erecto ſæpè ad animi deliquia uſquè auctus, anxietas, ſuſpiria, tuſſis ſicca, dyſpnæa; ventriculi ægritudo, aut ſubverſio, ventris ſæpè ſubtracti, nonnunquam ſicci tormina, ac flatus: in dorſo, lateribus & extremis dolores ſævi, aut remiſſiores, ſudores effuſiſſimi, fracidi, vel cutis retorrida, diſcriminis metus ſummus primis apparet ut plurimùm diebus, ex quibus ſæpe plura,

---

(*v*) *Vide Celſi præfat. libri primi.*

nunquam non aliqua eruptionem antecedunt.

die 3ª erumpit exanthema.

Die tertio aut inſequentibus, ex quo aliquis inhorruit, nullâ certâ quoad tempus ſervatâ normâ, his adjunguntur aſperitudines in univerſa interdum epidermide vel rubræ, vel pellucidâ cryſtallinâ lymphâ primò turgidæ, vel partìm utroque tinctæ colore; inflammatâ perindè præ aliis faciei, colli, pectoris, & extremorum cute, quam præcipue occupant, ſæpè cum punctura & prurigine, illâ verò non admodum niſi imis quandoque in partibus ſublatâ, nec ubique.

Quibus eliminatis confertim in corporis ſuperficiem plerumque miteſcunt ſymptomata præfata. Quæque puſtulæ primò exſtabant rore diſtentæ limpido, ut plurimùm præ cæteris replentur materiâ magìs coctâ, ſpiſsâ, & albicante, milii vel papaveris albi ſeminibus prorſus ſimiles; niſi quòd fiant majores, atqui vix matureſcunt univerſæ.

Exactis quatuor dein, ſex, pluribuſve etiam diebus, quos graviter equidem cum vitio luctantes tranſegerunt, plurima dictorum moleſtè admodum ferentes, utique modò puſtulæ, quæ ſe priùs oſtenderant, mox mala fide ſe condant, aut minùs copiosè elidantur, materiâque ſubactâ demum ſaltemve difflatâ, ſic deſinunt motus febriles, ut ex toto ſequatur integritas, puſtulis exſiccatis, ac dein deſquammatis : alii ſic, ut aliquantum minuatur ex febre, nihilomi-

nus tamen reliquiæ quædam maneant, quæ alienam formam induunt, moras trahentes longiores, interdum & ſævas.

Sin fauſtè minùs res ceſſerint, debellatis ægris atque confoſſis, æſtus interni; ſudores gelidi; materiei retroceſſio; anxietates ſummæ; cordis ictus celeres, tremuli debiliſſimique; nervorum ſubſultus, & convulſiones horrendæ; animi deſperatio atque deliquia, funeſti exitus & ocyoris, perpetui certique ſunt prænuntii.

Quùm aliis morbis puſtulæ miliaceæ ſuperveniunt, utriuſque ſymptomata pleraque componuntur, & nihiloſecius iſtorum criſim quoque adjuvant ſive in melius, ſive in deterius, ſua tamen nullatenus exuunt inſignia, quibus intenta mentis acies illa ab invicem queat diſcernere.

Huic morbo opportuniores ſunt præſertim omnes, qui ſero abundant acriori, minùs ſpirituoſo: qui cibô utuntur nimiô, inerti, viſcidô vel vappidô; quique ſeſe deſidiæ, aut mollitiei dedêre. Quicunque ex imbecillitate valetudinarii ſunt, morbiſque aliis popularibus ideo obnoxii: quicunque luctu protracto, iracundiâ vel metu gravi, nervorum intentione, perturbatione, debilitateve malè mulctati ſunt: aut vitali nimis exantlati latice, ſive effuſo ex ruptis ſponte repagulis, ſive plorante, aut imperitè detracto; quibuſque præter naturæ modum is fuit detentus, aut commotus: qui porrò

cælo ſub impuro, aſpero, humido, nimboſo, mutabilique; morbis propterea epidemicis aliis & hocce inquinantur; quibus adjungi poſſunt quicunque potu calido, tenui, aquoſo diù, nimiùmque abuſi ſunt. Præ omnibus quibuſcunque verò puerperæ hac ſorte iniqua luctatæ ſunt.

Defœdantur liberi etiam hac labe multoties juxta ac matres, præſertim harum uberibus admiſſi, faciliùs tamen evadunt, niſi cum aphthis conjungatur intrà primum poſt partum menſem valdè frequentibus, crebrò funeſtis, vel tranſeat in chronicam haud rarò maximè rebellem.

Unde dantur etiam familiæ non paucæ purpuræ admodum obnoxiæ, ex qua tandem citiùs aut ſeriùs decumbunt aliqui, & nonnunquam intereunt.

Ex hiſtoria jam recenſita ſatìs ſuperque manifeſtum eſt, malum hocce per proximè ſaltem elapſum ſeculum, nuperque omni ferè anno, per univerſam Europam aut alibi exſtitiſſe ſeorſim, aliiſve quoque, quæ populariter prævalebant, fuiſſe complicatum; nec minùs iis ſæpe contagio ſeſe proferens, quinimo magis interdum exitioſum, ſic ut conſtitutionis tum vigentis principatum obtinere haud minùs ac alia videretur.

Experientiâ verumtamen didici & longâ & confirmatâ aliorum, meâque, omni tempeſtatum genere, cujuſvis habitûs, ſexûs, ætatis, regionis, vitæque generis homines

hunc morbum quandoque pati, nec vel optimâ cautelâ eos ſemper ſalvos tueri poſſe; quin quòd jam ſuperari ut plurimùm poſſit, viris ſolertibus, aptæque medelæ eſt tribuendum.

Enarratis igitur præcipuis morbi ſignis, geniô & hiſtoriâ, ad ulteriorem ejuſdem enucleationem nunc progrediar, quâ cauſas, prognoſtica & curam quæ propiùs ſpectant exhibebo, quòd diviſione pro more aphoriſmorum facta, commodiſſimè perfici poſſe opinor.

I.

In omni ævo exiſtimarunt medici continuas febres, non modò in quibus purpurea erumpunt exanthemata, verùm etiam omnes, quæcunque populariter ſe diſpergunt, præter peculiarem humoris putredinem, aliquid etiam communis, & publicæ perniciei redolere.

I I.

Quòd contagiô vigeat, ſeque proferat purpura, teſtatur ejus ubera ſeges per urbes, per agros, iiſdemque in domiciliis plures (*a*), ſicut in diverſis fit morbis, corripiens ſimul.

miliaria est contagiosa.

(*a*) Febris exanthematoſa, ut omnes ferè quas puſtulæ comitantur, eſt contagioſa, plures namque eâ correpti in eadem ſæpe domo decumbunt. *Vide Huxham Obſerv. de Aer. & M. Epid. An.* 1734.

III.

Eam certè in brachiis bis paſſus ſum e puerperis, quibus enitentibus opem tuleram: languores inſueti, anxietates & ſuſpiria, quaſi cincta eſſent præcordia, præter alia eruptionem comitabantur.

IV.

Maritum, & uxorem ejus abortu jam liberatam, eodem tempore, cubiculoque curabam.

V.

Quòd & epidemicè valeret ante multos annos, ùt noſtris quoque diebus, ex prædictis ſpero elucet; ſi minus intulerit vetuſtis moleſtiæ, vel diſcriminis, quàm hodie, acceſſit infortuniô nobis, qui malis iis ignotis fortè jam plectimur.

VI.

Immo utcunque præterlapſum ante ſeculum, malum rariùs viſum fuerit, noſtro quidem apparet creberrimè, & epidemicè (*b*)

(*b*) In febre contagioſa maligna verno tempore anni 1735. ſæviente, plurimi erant, quibus ſors melior (die ſcilicet quarto, aut quinto) benignum dedit morbi exitum: eruptione nempè puſtularum rubrarum miliarium, atque blandi per totum corpus ſudoris, multi verò diu morbo conflictati innumeras tandem habuêre puſtulas miliares limpidas, ſæpe ſalutiferas; pluribus autem erat periculoſæ plenum opus aleæ. *Vide Huxham Conſtitut. An.* 1735. *n. Obſ. Aer. & M. E.*

verè, puerperas (*c*) inter præſertim.

VII.

Mulieres enim nequaquam ſimiliter ac viri morbis corripiuntur; & præter eos quos ex utero patiuntur, univerſo ſexui communes hac in regione aliàs ſaluberrima, nec aliô quovis endemicô moleſtatâ, purpurâ præſertim albâ præ omnibus quibuſcunque vexari illas, imprimìs recens enixas, ſexdecim annorum experientiâ edoctus ſum. Quam propter maximè rationem in animum induxi tenuibus hiſce, mali gravioris niſi probè perſpecti, aptiſque remediis propulſi hiſtoriam, & curam tradere.

VIII.

Rigor vel horror, & hic pluries nonnunquam ingeminatus, dolor capitis, vel ventris (torminum inſtar) articulorum, vel coxarum, vel coſtarum aut in natibus; nauſea, aliquando vomitus, aut alvus compreſſa aut liquidior, ſudores inter febriculam præter modum copioſiſſimi, ſomnolentia, vel vigiliæ, delirium derepentè invadens, anxietas & irrequies incredibiles, ſi languores quoque infeſtent, omni procul

(*c*) A fide digniſſimis viris certior factus ſum purpuram inter puerperas in agro Pedemontano tum plurimùm graſſari, tum multis quàm funeſtam eſſe.

dubio *Eruptionem* mox inſtare *Miliarem* (a Raſh) indicia ſunt, quæ nunquam fallunt.

I X.

Si verò hìc detur ſignum propathognomonicum languores (Anglicè, Sinkings) præcordiorum anxietas, irrequies, vitæque ut plurimùm deſperatio præ omnibus quibuſcunque morbi præſentiam confirmant. De purpura tum acuta, tum chronica, de qua agere non eſt hujus loci, effatum hoc ſemper, & ubique verum eſt.

X

Nec latet quòd hi languores in variis quoque morbis perſentiantur, in noſtro tamen nunquam abſunt, modò mens ſibi conſtet.

X I.

Quicunque porrò hiſce oppreſſionibus, & languoribus maximè ſunt obnoxii, iidem & huic malo.

X I I.

Dum natura tam infenſo incumbit expellendo vitio, haud aliter ac in omnibus aliis exanthematibus, ſyſtematis nervoſi fons mirè perturbatur, vel opprimitur : unde aliquando procedunt ſpaſmi, vigiliæ, & non rarò delirium; aliquando ſtaſes humorum atque ſtrangulationes, quibus in ipſo limine

ferè conficiuntur ægroti cum magno adſtantium terrore.

X I I I.

Nec quidem unquam puſtulæ abſque horrore vago repetito erumpunt : de purpura acuta præcipuè loqui volumus.

X I V.

Horrores quàm incerto redeunt intervallo, niſi febris intermittentis typum quandoque ſubeant; iique potiùs quàm rigores eruptionem præeunt, & hæc illos ubique excipit : quin etiam quovis fiunt morbi tempore, modò materia ſubſit; unde evenit, quòd horrentes nunquam ſatìs, ne auræ algidiori pateant, ſibi proſpexiſſe videantur, ſuæ plerùmque horrorem tribuentes incuriæ, vitii indolis ignari, ac inſidiarum.

X V.

Sæpenumero contigit quòd fæminæ non paucæ ſtatim laborioſo à partu horreant vehementiſſimè & rigeant, mox incaleſcant, biduôque vel triduô expletô, puſtulis obducantur miliaribus, haud raró inſigni cum diſcrimine.

X V I.

Iſtiuſmodi autem horror ex ſummo labore enitendi nonnunquam ſupervenit, non ſubſtante tamen indole morboſa, leviter tunc

tranſeuns, nulla febre acuta ſubſequente. Huncque ſedulò jam monemus diſtinguendum, cùm quantùm memini, ab aliis hoc non fuerit obſervatum.

XVII.

Nec profectò morbi adventantis, jamve præſentis etiam ullum obſervare potui certius ſignum, quàm immanes, quibus ferè ægroti reſolvuntur, ſudores: quanquam nec lecti calore, nec victu intemperato, nec medicamentis fuerint eliciti.

XVIII.

Quinimo in initio, & per primum morbi ſtadium, ſudores ex omni prorumpunt poro, eô verò longiùs progreſſô, paulatim plerumque recedunt, ſi materia feliciter coquatur.

XIX.

Inter hæc ubique pectus ac collum, brachia interna digitoſve, in quibus initiò emicant puſtulæ, oportet ſedulò inſpicere, priuſquam quid cæperis de vitii aut genio aut medela, conſilii; aliter namque facilè erraveris, ægroque, ac tuo nomini multùm obfueris.

XX.

In purpura alba veſiculæ pellucidæ adeò cutis colorem referunt, tamque exiguæ ro-

ris inſtar guttularum primò ſeſe oſtendunt obtutui, ut oculum facilè effugiant niſi intentum, & expertum. Et hoc adeò verum tantique cùm ſit momenti, eò diligentiùs animadvertendum eſſe exiſtimo, quòd eruptionem non levem curantis aciem haud rarò fefelliſſe cognoverim, ità ut àliquando ferè præterierit morbus, antequam detectus fuiſſet

X X I.

Variâ etiam noxâ interdum illudit tum medicis, tum ægris, mox ſe oſtendens exanthematibus rubicundis, mox aliô ſe deformat fucô, ac rubentibus efflorescentiis albidas innatantes gerit, quæ quaſi in iis altas ſedes figere videntur; quales in multis vidi, & in Devonia ab oculatiſſimo Huxham viſas fuiſſe dictum eſt.

X X I I.

Purpuram rubram generis acuti non crebrò his in locis obſervaſſe contigit, ſtudioſè tamen hercle animus hìc adhibendus eſt, quibus maturior in his non fuerit experientia, ne exanthema rubicundum, unà cum angina ulceroſa germinans (quod vitium ejuſque curam peritè tractaverunt Doctores Fothergill & Huxham) longèque a noſtro alienum, cum prædicto confundatur. Quùm illud efflorescentia lævis contigua potiùs ſit, quàm puſtularum, quæ è cute

emicant elevatio, rubris candidiſque noſtris propria: eòque magìs quòd utriuſque curatio, quantumcunque in aliquibus conveniat, in aliis è contrariò penitus adverſa ſit.

XXIII.

Os & fauces papulis obducta parvulis non minùs ac ſternum, aut brachia notavi, ab aphthis omnino diſtinguendis.

XXIV.

Eruptiones miliares cum aphthis conjunctas, niſi in infantibus, raròme conſpexiſſe confiteor, (*d*) etiam ubi nauſea, ægritudo, proclivitas in ſomnum, pectoris oppreſſio & ſtomachi ardor has monerent ſuſpicari.

XXV.

Tam vultus quàm brachia majore inflammatione tentata, perindè ac in variolis, crebrò intumeſcunt, cum calore, & pruritu, elevatione verò longè minore.

(*d*) Haud indignum obſervatu, quòd quandoque illis in locis ubi aphthæ vix occurunt, obſerventur exanthemata (miliaria dicta) alba & rubra in externa corporis ſuperficie. An tunc ad externam cutim deponitur ſimile quid ac in aliis locis per primarum viarum corporis ſuperficiem diſpergitur? *Vide van Swieten Comm. in* 982. *S. Aph. Boerhaave.*

XXVI.

Frequentiores in cruribus puſtulæ rarò obſervantur.

XXVII.

Veſiculas adfore miliares lecto aſſidens, ex ſolo odore acoris, quem redolent ſudores, ſæpenumero prædixi antequam vel ſymptomata quæſierim, vel ægrotum inſpexerim.

XXVIII.

Quantùm ex aliorum monumentis, ſedulâve ſqualidos inter laborantium lectos obſervatione diſcere potui, nullus dies definitus eſt, quô, etiam in febri genuina miliari, eruptiones, tanquam in morbillis varioliſve fit, ſe oſtendunt, aut matureſcunt, aut deſiccantur: variant quippè hæc ſecundùm diverſum vitii fomitem, genium, conſtitutionem, ægroti victum, regimen aut tempus indolemve epidemici, vel morbi cum quo componuntur.

XXIX

Etſi omni morbi tempore extuberant puſtulæ, evaneſcunt, repullulantque, ordine quàm maximè incerto, elapsô tamen, ex quo inhorruerint laborantes, biduô, triduôve, ut plurimùm prorumpunt. Hæque vix ante quintum poſt eruptionem diem, vel ſeptimum, nonum, undecimum, aut decimum

Tempus eruptionis et desquam. miliaris.

quartum coquuntur, & deſquammantur, ſicuti ſedulâ, & repetitâ experientiâ doctus affirmare audeo. (*e*)

X X X.

Prout verò brevi ſpatio interdum, intràque unum (*f*) paucoſve dies puſtulas deſquammatas, ita ad quinque ſexve ſeptimanas productas fuiſſe quoque novi.

X X X I.

Aliquando enim, primâ veſicularum meſſe miliarium deciduâ, viget altera; quod iterum iterumque per plurimarum ſeptimanarum intervallum repeti aliquoties obſervatum eſt, cum certa ægroti moleſtia, dubio tamen

(*e*) Typus morbi ſequens eſt, &c. Appropinquante die quarto, quanquam interdum etiam citiùs illud fiat, in artubus, collo, pectore elevantur & extuberant pori cutis cum rubore, inſtar cutis anſerinæ, ac ſenſim oriuntur numeroſiſſimæ puſtulæ, magnitudinis exiguæ, pellucentes, &c. *Vide Conſtit. anni* 1700. *Morbor. Vratiſlavienſium.*

(*f*) In Conſtitutione Vratiſlavienſi anno 1700. frequentiùs ſolitò purpura alba, infantes, pueros ac fœminas, & imprimis puerperas corripiebat, quæ in ſiccioribus ſatìs maturè, ferè intra viginti quatuor horas exſiccatur. *Vide Morborum Vratiſlav. Hiſt. anno* 1700. *P.* 163. *Ed. Alb. Hall.*

tamen plerùmque fatô : hocque fit in febre præcipuè lenta nervoſa, quod cum perſpicacis judicii Medico Domino Glaſs ſæpè dolebam.

XXXII.

Tument veſiculæ primò materià pellucidâ, tenui, aquosâ, indies magìs flaveſcente & tandem coctá (modò res benè cedant) ei quæ in variolis matureſcit non diſſimili; earum verò complures lymphâ elevantur diaphanâ nunquam çoquendâ, nihilominùs deſiccandæ feliciter.

XXXIII.

Nonnunquam bullæ inſignes, apice digiti non minores, hìc elevantur (*g*).

XXXIV.

Dum matureſcunt veſiculæ, ſalivatio non aliter ac in morbillis, aut variolis confluentibus, copioſa interdum profluit, ſenſim, areſcentibus puſtulis, receſſura.

XXXV.

Pulſum quanquam inter hæc inæqualem, ac inordinatum ego juxta ac alii deprehenderim, tamen nec debilis, nec languens

---

(*g*) *Vide the Cure of the Miliary Fever, by a Subject of Mithridates.*

ullo pacto huic vitio proprius eſt : quum crebrò fortis, durus, magnus reperiatur, donec ad ſtatum perventum ſit.

XXXVI.

Præter dicta denique tanta quidem nervorum αταξια quàm ægerrimè in ordinem redigenda morbum ſæpe ſtipat, præterlapſumque inſequitur, ut tum ægroto, tum medico magnam faceſſat moleſtiam.

XXXVII.

Adeòque hoc verum eſt, ut nullibi majorem obſervabis metum, aut perturbationem, quàm dum natura hocce expedit inquinamentum; tumque ſtudiosè cavendum, ne inter morbi cum natura luctam, hanc de malo expulſo triumphantem interpelles, illudve reprimas.

XXXVIII.

Cum variolis, hemitritæa, angina (*b*),

(*b*) In hac febre (miliari) anni 1704. quorundam fauces occupavit dolor illius qui in angina æmulus, ex quo multi mortui, aſt ſalvi ii facti ſunt, quibus fiebat perſpiratio continua, & lenis. *Vide D. Hamilton de Febre Miliari.*

Eodem anno adulto jam Septembri, nec non Octobris initio febres continuæ puſtuloſæ plurimos in adulta, æquè ac puerili ætate conſtitutos, cum prædordiorum anguſtia, inquietu-

Febribus catarrhalibus (*i*), nervoſis dictis, malique moris, pleuritide & aphthis conjunctam interdum videbis purpuram, quas quum vix ferendo ſufficiant robuſtiſſimi athletæ, ſexus ſequior, imbecillioreſque ab iis ferè opprimuntur. Quæ cuncta ſignis ſingulis propriis artis gnaro ab invicem non difficilè ſunt dignoſcenda. Et utatur quoque hìc acri judicio, ne multiplici ruina ægrum præcipitem mittat.

XXXIX.

Mulieres præ viris hac febre purpurata ſæpiùs laborant, & imprimis puerperæ re-

---

dine, deliriis, *angina ſpuria*, puſtulis albicantibus, univerſam corporis peripheriam occupantibus invaſerunt, &c. *Vide Conſtitut. Epid. Auguſt.* 1704. *à D. Luca Schroëkio.*

In febre epidemica anginoſa anni 1734., quam aut ſolvebant ſudores profuſi, aut puſtulæ rubræ, aut diarrhœa, aut enitens parotis, comparebant morbô protractô ad ſeptimum, octavum, vel nonum diem puſtulæ cryſtallinæ miliares cum plurimo, niſi præmaturè recederent, ſolatio. *Vide Huxbam Obſervat. de Aër. & M. &c. an.* 1734.

(*i*) Dum febris catarrhalis, anno 1730. per totam Europam magnam committebat ſtragem; febres malignæ continuârunt. Harum aliæ fuerunt exanthematicæ, erumpentibus vel petechiis, vel purpurâ vel morbillis. *Vide Hiſtor. Feb. Catarrh annorum* 1729., 1730. *à Car. Frid. Loëw.*

cens enixæ. An quoniam lactea materies tunc percurrens vaſa, pabulum foveat mali, augeatve? An quia effluxâ forſitan portione rubri optimique ſanguinis, chylus novus craſim nuper effuſi illius nondum adeptus ſit?

X L.

Mulierum corpus quum denſum ſit, id quod per inſenſilem effluxiſſe debebat tranſpiratum, manifeſta ſui in cute ſæpe relinquit veſtigia.

X L I.

Verique ſimile videtur fœminas ex corporis fabrica, uteri menſiumque turbis, animi mobilitate, & affectibus ſenſilibus, deſidia vitæ, victu nimis vappido, amictu negligentiore, huic morbo magis eſſe obnoxias: maximè omnium verò puerperas, quando, detritis ex partu viribus, nimiùm ſecuræ regimini indulgent inepto, lectumve citiùs quàm expedit relinquant, quemadmodum maximæ parti, gravi ſua cum pernicie, mos eſt.

X L I I.

Præ aliis corripiuntur purpurâ illæ puerperæ, quas gravidas, diù detinebat vel ſitis, vel febricula, vel quibus victus inſalubrior in deliciis fuit, vel vita otiô torpens, ut centies expertus ſum cum Hoffmanno.

XLIII.

Infeliciores quædam fœminæ poſt partus ſingulos, quo tempore ſcilicet lac ad mammas devenire debet, recidivis ſubjiciuntur, ſive victus fuerit tenuior, magìſque temperatus, ſive cupediis nimis, dum in utero gerebant, addictæ fuerint, ſive has diuturna diarrhæa exhauſerat.

XLIV.

Laticis vitalis diſpendium etiam maximum non modò non impedit, ſed è contra purpuræ promovere eruptionem, in puerperis ferè exhauſtis, aliiſque, quibus ſanguis copiosè effluxerat, aliquoties obſervatum eſt.

XLV.

Parturientes cùm graviter depreſſas, aut languentes obſervaveris, ſummoque & protracto defatigatas enitendi labore, purpuram aut febrem in puerperio vix evaſuras certus ſis; eòque minùs, ſi gravidæ febriculâ incaluerint.

XLVI.

In puerperis dum puſtulæ propelluntur, lac recedit, vix poſtea revocandum: ſanè haud abſque harum incremento, vel deſquammatione.

XLVII.

Decurrente morbo urinam variè tinctam conſpicies ; pluries rubram admodum, ac ſaturatam, nec quidem minùs quàm in ipſo aurigine, ubi ægroti nec erant cachectici, nec diuturna febre marcebant. Sæpe è contrario pallidam, & crudiſſimam eandem videbis per longum temporis ſpatium, cùm aut lentè procedat puſtularum coctio, aut ſupervenit ſpirituum dejectio vel delirii metus.

XLVIII.

Præcordia ſi invadat hoc vitium, anxietates, jactatio, æſtus, ſyncope & oppreſſio mira ſupervenient. Ad caput ſi transferatur, dolores ecce, ſtupor, vigiliæ, deſipientia, phrenitides, convulſiones. Quando tranſit ad pulmones, difficultate ſpiritûs & ſuffocationibus homo ferè proſternitur. Ubi ventriculum adoritur, inteſtinave, nauſeæ fiunt, vomitus, borborygmi, tormina dira, alvi compreſſio, vel fluiditas non coërcenda. Si verò uterum obſideat, quæ non indè turbæ? Obſtructio, phlogoſis, fluor incompeſcibilis & infinita malorum caterva.

XLIX.

Denique quò ſummatim dicam, prout mali fomes hanc aggreditur, aut perturbat, illamve corporis partem ; eadem ratione

ſymptomata inſidiæque proteiformis hujus vitii hæc organa vitæ, illave viſcera vexant, intentant, vel peſſumdant.

L.

Non mirum itaque, quòd inter tot tamque vehementia morbi ſymptomata, ubi etiam valent magnoperè vires, dimicatum fuerit, & acriter, & longè, atqûe periculosè; quum illa per primos parùm remittant dies, nec priùs fugatus quàm fuerit hoſtis.

L I.

Hìc meritò quæri poteſt unde tot tantaque oriantur mala, quæ efflореſcentiam comitantur raram æquè ac confertiſſimam? an quòd puſtularum materia in venis deliteſcat adhuc, nec expulſa, nec ſuccumbente natura unquam expellenda?

L I I.

An coagulô denſentur humores circa præcordia, vaſaque màjora, anne vitiata, & ſoluta ſit iſtorum craſis, variant ſententiæ; quum verò in ſectis cadaveribus compactos, & inſpiſſatos videre contigit, atque viſcera ſiderata: mihi magìs arridet prior opinio, quam etiam confirmare videntur dolor ſæpe atrox, anxietas ſumma circa præcordia viſceraque, ſyncope, ſudores frigidi, vitæque abruptum ocyùs filum.

LIII.

At humores nimiùm nonnunquam diſſolvi, indices non leves ſunt, ſudores profuſi, alvi reſolutio incompeſcibilis & funeſta, lotii fluxus immanis, debilitas atque languor, ſubitaque ſæpe mors: ac poſt illam cruoris horrenda quandoque corruptio & ſuffuſio.

LIV.

Alios morbos hicce præcedit, comitatur, excipit, auctumque tum periculum par malo.

LV.

Papulæ omnino ſuſpectæ ſunt in febribus continuis. quum cœlum malignum ſit, aut præceſſit diæta vitioſa, aut quum earum multitudo eſt, tunc enim morbus popularis eſt, & is ſuſpectus, monente Ballonio.

LVI.

Si febres catarrhales malignæ & exanthematicæ alvi fluxu ſolutæ fuerint, ægri ab incurſu purpuræ albæ immunes perſiſtunt, quæ aliàs haud raró declinante morbo ſupervenit; non magnô periculô, ſicut obſervavit Fridericus Hoffmannus.

LVII.

Verùm in febribus continuis & intermit

tentibus, præſertim ſi differatur ſectio venæ, & febris vires eundo acquirat, vel regimen juſtò fuerit calidius, puſtulæ germinant, quæ non ſunt ullius malignitatis, ſed ingentis æſtus argumenta ſecundùm Huxham.

LVIII.

Idemque docuit quòd papulæ rubræ, floridæ, copioſæ, aut plurimæ puſtulæ miliares turgidæ ſtatu morbi (febris nervoſæ dictæ) erumpentes bona præſagiant.

LIX.

In genere nunquam non ratum perpetuumque eſt, quòd quò intenſiore rubeſcant papulæ colore, & phlegmone, materiâve diſtendantur flavâ, eò & robur naturæ firmius, ſpeſque lætior ſanitatis; quò magìs ex adverſo palleant, vel tranſluceant, & quaſi retrocedant, eò funeſtiores.

LX.

Quamquam rariores ſub primo ipſo ingreſſu conſpiciantur veſiculæ, modò tamen ſigna comitentur morbi vehementioris, qualia nempe ſunt perturbationes, horrores vagi, ingens anxietas, languor & incaleſcentia ex naturæ cum morbo contentione, ſeges copioſior ferè in procinctu eſt.

LXI.

Hæc verò in corporis ſuperficiem efflo-reſcentia haud ſemper critica cenſenda eſt, cùm nec febrem, nec morbum ſolvat; immo aliquoties evenit, ut ſub illa ſive rariore, ſive magìs conferta ægri intereant inopinatò.

LXII.

Nequaquam ideo ægroti res ſecuriores ſunt quòd magna puſtularum vis extrorſum excreta ſit, tantùm enim abeſt, ut humorem in venis acrem ſemper hæ eliciant, exhauriantve, ut ejus potiùs copiam intus adhuc deliteſcentem & ægro periculum portendant, non aliter ferè ac in variolis confluentibus fit. Certè quò numeroſiores puſtulæ ſunt, eò plerumque vehementiùs urgent ſymptomata.

LXIII.

Etſi ſibimet a malorum quibus initiò omnino gravati, & ferme obruti ſint cumulo levari ægri nonnihil quandoque videantur, crebriùs attamen falluntur: nam in nullo alio ferè morbo magìs vel frequentiùs exacerbantur omnia; quod adeò verum eſt, ut quando ad ἀκμὴν perventum eſt, difficile ſit certò definire, niſi materiâ jam coctâ veſiculæ plurimæ diſtendantur, ſaltemve hæ

deſiccatæ fuerint, & pleraque ſimul gravia miteſcant ſymptomata.

LXIV.

Fit enim aliquando ut febris per acceſſiones ingraveſcat nec corpus integrum dimittat, quô malum aut longum futurum morbum oſtenditnr. Idem oſtendit poſt ſudorem ſæpe inhoreſcere, aut multum ſudare, maximèque in principio ſi frigidus ſit ſudor, vel etiam quovis morbi tempore.

LXV.

Inter exanthemata nequaquam ſecurus eſto, ſive febris adſit ſive abſit. Hippocrates etiam loquitur de puero (*a*) cui ſine febre exanthemata apparuerunt, ſecutæ tamen ſunt convulſiones, & fatô functus eſt. Quod non ita pridem virgini purpurâ albâ verâ laboranti, puſtulis admodum numeroſis, nec retropulſis contigit. (*b*)

(*a*) *Vide Hippocrat. Epidem. lib.* 7. *Idem etiam obſervatum eſt à Ballonio anno* 1575.

(*b*) Textor quidam cùm exanthemata quæ pſoram eſſe exiſtimabat, infauſtè unguentô e mercurio pelleret, concidit apoplecticus, & confeſtim interemptus eſt. Studioſo quoque qui non admodum ægrotabat, nec multum de victu conſueto detrahebat, die nono erumpebant exanthemata, die undecimo avidè cibum ſumpſit nimium, & lectô ſtratô decumbens membra ſtatim in æternum repoſuit; tantô dolô aliquibus perniciei eſt vitium hocce. *Vide Junckeri Conſpect. Therapeut.*

LXVI.

Miliacea hæc eruptio, ſeu palleant puſtulæ, ſeu retrocedant, a deficientibus cùm elidi nequeant viribus extrorſum : ſubitò ſi tunc alvus, quemadmodum ſæpiùs fit, ad aliquod vices fundatur, exitium ægroto multùm acceleratur, præſertim ubi ſimul accedunt eximia ventris tormina, horror extremitatum, ſudorque gelidus.

LXVII.

Languores ſæpenumero, iique multùm gravantes, ſpiritus admodum ϖνιγώδης, pallor vultûs, pulſus exilis, vacillans, acceleratus, reſolutus cum torminibus venter, delirium perpetuum, ſudores frigidi enormes, anguſtiæ circa præcordia, lipothymiæ cum ingenti virium defectu, puſtularum detumeſcentia, pallor ac retroceſſio rem brevi peſſum iri præmonſtrant.

LXVIII.

Dolores & tumores ſi ſint vel in locis inferioribus, vel ut plerùmque fit in pedibus, nulla ratione malum levant, id augent potiùs, & protrahunt : immo tantâ illi quandoque vi aggrediuntur & ferociâ, ut rheumatiſmum citiùs, vel iſchiadem ſævum, quàm morbum purpureum occupaſſe facilè inexpertus crederet. Porrò tanto pariter, tamque repentino tument œdemate, ut in-

tercutim jam talis invaſiſſe cenſeret. In non paucis obſervavi crus unum ſolummodo intumuiſſe, nec ante ſpatium diuturnum fuiſſe reſtitutum.

LXIX.

Et hæc quidem puerperis præ aliis eveniunt ſæpiſſimè, longumque tempus trahunt, unde ferè fiunt paralyticæ, aliquando certè ſic ſunt inflammata crura, ut pus exinde natum viderim.

LXX.

Puerperarum purpura citò exiens, citòque recedens periculoſa eſt, imprimis ſi alias valetudinariæ & debiliores fuerint, aut quâvis impuritate humorum laborent.

LXXI.

Niſi lochia in puerperio deſcendant ubertim, quemadmodum in morbis aliis, ita in veſiculari magnum diſcrimen pertimeſcendum eſt. Et è converſo, quò copioſiùs per totum emanent morbi ſtadium, nec modum tamen excedant, tantò ſecuriùs res agitur. Catameniis etenim retentis, quolibet malo faciliùs implicantur mulieres, eidemque rurſum evacuationes conferunt.

LXXII.

Ut in puerperio, ſic in purpura, & aliis febribus, ſi ſudores pro norma proveniant

naturæ, res fauſtè plerumque cedunt; è contra in utrovis ſi vel ſiſtantur (*c*) vel nimii effluant, ubique ſubeſt non leve periculum.

LXXIII.

Donec urina in hoc ſæpè malo diutiùs cruda & varia læve depoſuerit largumque & diſtinctum ſedimentum, nequaquam putes ægrotum extra aleam eſſe, cætera licet pleraque ſpem oſtentare videantur longam; adhuc etenim recidiva aut exitioſius quiddam certè latet.

LXXIV.

Pulſus etiam multum timorem inter & metum fortis ſæpe eſt, optimique tunc quidem indicii: nec ſemper languet, aut deprimitur, ſicut nonnulli prodiderunt: ejus tamen ictus exiles, celeres, inordinati, debiles ſuſpecti ſunt.

(*c*) Nonnulli ægrotorum in febre catarrhali quæ longè latèque per univerſam Europam anno 1729. propagata eſt, modò liberiori aëri ſeſe exponentes maturiùs, modò inunctiones in uſum vocantes ſudationem neglexêre; quorum hi ſymptomata acerbiora non modò, verùm etiam in declinatione morbi *purpuram* incurrebant. *Vide Car. Friderici Loëw Hiſtor. Febris Catarrhalis quæ anno* 1729. *menſibus Novembr. & Decemb. per Europam epidemicè graſſata eſt*

LXXV.

Dum natura materiei expellendæ operam navat, inopinatum crebrò ſupervenit delirium, vix antequam veſicularum copia uberior ad epidermidem, pari, ac in variolis aliiſque morbis eruptivis ſæpe ſit, ratione, expulſa fuerit, ſedandum.

LXXVI.

Somnus primis morbi diebus plerùmque admodum perturbatus eſt & brevis; quòd ſi ultra naturalem protrahatur, felicis potiùs quàm ſiniſtri ominis eſt cenſendus.

LXXVII.

Quinetiam ubi exanthematum eruptio & diſſipatio critica eſt, ſomni ſubſequuntur placidi & ſuaves: ubi ſymptomatica, vigiliæ infeſtant, aut ſomni turbulenti. Nec quidquam eſt, quod tutius perfectæ criſeos argumentum præbet, quàm ſi ſomnus ſubſequatur.

LXXVIII.

Sæpiùs mirabar, quàm derepente nonnulli morbô in aliquibus ferè peſtiferô oppreſſi, puſtulis arefactis, vires reſumerent: quoſque ante biduum lethô dicabas, exuviis quaſi depoſitis, quàm brevì in integrum reſtituerentur.

LXXIX.

In aliis è contrariò excipiunt purpuram jam decurſam ſive potiùs tranſmutatam noxæ, quæ leviores licet videantur, tamen in diuturnum trahuntur ſpatium, nec facilè pelluntur.

LXXX.

Poſtremò purpura alba acuta in chronicam crebrò commutatur, & verſa vice, rubra etiam in albam, cum laborantis ſummo periculo, aut convaleſcentiæ metu. Aliquando & ex utraque morbus conficitur. Et hæc quidem ferè ſunt præcipua quæ ad morbi naturam & eventum pertinent; jamque ad auxilia accedamus.

LXXXI.

Quotieſcumque à natura evacuationes abſolutæ fuerint, & apparentia exanthemata *Κρίνοντα* ſint, id eſt, febris vehementiam imminuant, quieſcere medicos oportet, nec quid temerè moliri.

LXXXII.

Si hæc *Κρίσιμα* ſint, nec opportunam perficere valeat ſola natura excretionem, adjuvet illam ars.

LXXXIII.

Nec quidquam ad anxietatem incredibilem

lem, quam patiuntur quidam laborantes dum eliminantur puſtulæ, magìs contulit, quàm crocus, camphora, confectio cardiaca teſtaceis addita, aut vini generoſi cochleare unum, alterumve.

LXXXIV.

Qui autem humores in aliqua corporis parte conſederunt, neque ullô aliô auxiliô, neque medicamentô prius movendi ſunt, quàm concocti fuerint, tunc enim & natura evacuationem adjuvabit.

LXXXV.

Si puſtulæ circa cutem exſtantes, vel ſudores tepidi per totum corpus dimanantes levaverint præcordia, & pleniores effecerint pulſus, tunc profectò religiosè abſtinere oportet ab alvum ſolventibus, donec puſtulæ matureſcant, vel ſedata ſit ipſa febris. (*d*)

LXXXVI.

Dum natura vitii tam infenſi expreſſionem molitur, ſummâ cautelâ opus eſt, ne etiam enemata, quæ inter dolores colicos hìc quàm moleſtos tantum deſiderari videntur, vice ſubſidii exitiô fiant. Cùm cuidam namque puerperæ enema intempeſtivè ſubmiſſum

---

(*d*) *Vide Commentar. D. Glaſs.*

eſſet, dum natura eruptionem expediundo incumbebat, die ſequenti delirabat, & ante biduum fatô functa eſt.

LXXXVII.

Efflorеſcentibus hìc enim exanthematibus purgantia vitioſos ſuccos a cute ad præcordia reducunt, qui ibi hærentes oppreſſionem pectoris, anguſtias, inquietudinem, anxietatem, obſcuros & frequentes pulſus, impotentiam & corporis & animi inducunt. (e)

LXXXVIII.

Sin nîl obſtiterint ultimò commemorata, purgantia quovis morbi tempore exhibuit Dominus Glaſs, nec virium ulla ſecuta eſt conceſſio. Cordis potiùs ictus vidit invaluiſſe, & præcordia levata fuiſſe; aſt hoc ſumma cum cautela, medicum minùs illô ſagacem, prudentemve, experiri auctor ſum.

LXXXIX.

Eruptionem miliarem ex alvo inter febrem ſtrictiori etiam pabulum nanciſci cenſemus, diutiuſque protrahi, præſertim cùm importunè nimis ſudori promovendo intenti ſumus.

(e) *Vide de his D. Glaſs de Febribus.*

X C.

Sudores etenim quod in venis hìc vitium eſt educunt, non tamen impediunt, quo minùs materia corrupta à primis viis ei ſuccedat, imò potiùs eam promovent. (*f*) Partes namque corporis, induſiis arctè nimis involutas, ſæpe notavi puſtulis quàm denſiſſimè conſitas.

X C I.

Vidit quoque Ballonius in eàdem familia liberos multos exanthemata paſſos, quibus ante eruptionem, & quum nîl tale expectaretur, data fuerat medicata potio, meliùs ſe habuiſſe & perfectiùs eſſe ſanatos, quàm quibus dare medicamentum, ne excretio impediretur, religio fuit. At de variolis & morbillis præcipuè hìc loqui videtur : verbaque illius confirmare poſſum ex multiplici in curandis variolis experientia; cùm ex alvo libera, aut etiam liquidiore ſub earum ingreſſu, nunquam quidvis damni eveniſſe meminerim.

X C I I.

Medicus quidam primarius famulæ cuidam, cùm periculum eſſet ſuffocationis, vigente eruptione ſine ulla noxa detraxit ſan-

(*f*) *Vide de his D. Glaſs de Febribus.*

guinem. Ejus ego triennio abhinc ſecutus exemplum in pleuritico, cui purpura aderat, idem ad quartam vicem auſus ſum facere, cum ingenti delirii, & puncturæ lateris levamento; ſegete miliari brevì quàm maximè aucta, adeò ut numeroſiorem vix unquam conſpexerim.

XCIII.

Fridericus Hoffmannus nequaquam ſanguinis humani prodigus monet venam *aliquando eſſe ſecandam*, ſi præcordiorum anxietas, aut pulmonum ſtrictura celerem minentur perniciem.

XCIV.

Nec quantùm experientiâ didici, venam malo invadente ſemper aperire commodum eſt, etiam ubi vires ſinere videntur; quum res nullò ſanguine detracto plerùmque feliciter peracta fuerit. Nec hìc prætereundum eſt, ſectionem venæ debili in puerpera convulſiones inſecutas, quibus ægrè quidem mulier ſuperfuit.

XCV.

Ita ſemper ratum ſit, ut nec ab eo, qui curat, malum aliquod inferri debet, ſatìs enim ſunt quæ ex morbis naſcuntur : verùm ut boni aliquid præſtet, pro viribus curandum eſt.

XCVI.

Propterea quum pulſus parvus ſit, & frequens, & celer, aut ſudoribus effuſioribus diffluant ægroti, parciùs & cunctantiùs ſanguis detrahendus eſt : ſi is plenus, altus, & magnus, cum calore valdè intenſo, audaciùs & tutiùs.

XCVII.

Imbecillitate tamen pulſûs quæ ex oppreſſione fit, terreri non debemus; tunc enim ob plenitudinem explicare ſe nequit arteria. Unde autem oriatur hæc pulſûs debilitas, an ex cordis viribus detritis, aut ferè ſublatis? An ex cauſa quâvis alia & adventitia? Eſt prudentis ac ſolertis medici diligenter ſcrutari.

XCVIII.

Porrò non tam morbi ſtadia, futiliaque malignitatis nomina, quàm ſymptomata laboranti diſcrimen afferentia, quibuſque mederi, aut ſaltem ſubvenire ſui officii eſt, præ omnibus reſpicere debet medicus.

XCIX.

Sæviunt non raro vel in capite, vel in dorſo, vel lateribus, vel in abdomine, vel extremis dolores admodum atroces, qui tanta cum vehementia, & omnimoda interdum motûs impotentia aggrediuntur, ut

phlogoſim his in locis ſubeſſe, aut arthritidem, facilè inexpeitus credat. Puerperas imprimis affligunt : nec ferrum ſemper poſtulant, quum fotu, expulsâ nimirum purpurâ, brevì ut plurimùm ſummoveantur.

C.

Cùm hìc de ſcalpelli uſu, in puerperio præſertim mentio inciderit, & ſummi Boerhavii magiſtri mei in medicina, nunquam abſque maximo cultu & deſiderio nominandi effatum ſit, " venæſectionem haud " facilè, nec niſi urgente ſumma neceſſitate " adhiberi poſſe „ nollem tacere me quidem non ſolùm ſæpe, quod tuta ſit, expertum fuiſſe, ſed quod nullo etiam pacto omitti debeat : atque in pleuritide cum aphthis & diarrhæa, juxta ac in pleuritide vera ſimplici ex lochiis retentis, in morbillis, in fluxu uterino nimio, cùm adeſſet etiam purpura, venam ipſo in brachio pertudiſſe, ubi non ſatìs ampla fuit ſaphæna, ſalvis tum puerperarum rebus, tum lochiis etiam, ut decebat, brevì dein fluentibus.

C I.

Nec, quantum conjecturâ augurari valeo, tantum ſubibit diſcriminis, qui venam tempeſtivè ſecat, cùm matricem aliamve partem inflammatio jam invaſerit, quantum ille, qui incertæ magìs medicamentorum efficaciæ totam committit rem, eamve morâ periculosâ protrahit.

C I I.

Si materia quidem adhuc in utero latitat, quòd accidentia ipſa indicabunt, priùs eam evacuare per uterum expedit peſſariis, ſuffimentis, fotibus; deinde ſanguis, ſi res poſtulet, tutò mitti poterit. (g)

C I I I.

Præcipiti enimverò periculo, fortique phlogoſi, niſi principio occurras, ubi præſertim humores facilè corrumpuntur, tabe miſerâ & fœdâ peſſumdantur omnia.

C I V.

Sola namque occaſio neutiquam omittenda, fieri enim poteſt, ut morbus id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur; ſed ſi nullum appareat aliud auxilium, perituruſque ſit qui laboret, niſi temerariâ quoque viâ fuerit adjutus; in hoc ſtatu boni medici eſt oſtendere, quàm nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, & tum demum ſi exigatur, ſanguinem mittere (h).

C V.

Si mulieri anguſtum fuerit uteri oſculum, neque puerperiorum purgationem de-

---

(g) *Vide Proſperum Martianum in Hippocratem de morbis mulierum.*

(h) *Vide Cornel. Celſum de ſanguinis miſſione.*

miſerit, inflammatione tentatur, quæ niſi brevì diligenter curetur, omnia eam magìs affligent, vel ſi non ſuapte ſponte exeat, malum graveolens & lividum, aut nigrum & grumoſum exiſtit; idque mulieri exitium portendit, niſi quis celeriter venam incidat, aut alvum emolliat (*i*).

C V I.

Ex Magei famula ne ſanguis quidem prodiit, nam ut filiolam hæc peperit, illico os uteri ad vertebras coxarum detortum eſt: porrò dolor ex vena propè talum ſectâ ceſſavit, quamvis corpus tremores jam occupaſſent.

C V I I.

Et ut obiter hìc notatu digniſſimum referam: ſi quid mihi ſaltem in tota arte perſpectum menſtrua propellere valeat, ſanguinis certè eſt copioſa detractio è brachio vel ſaphæna, vel ex utrâque, ubi nempe non deeſt multitudo. Reſerat hæc uterum etenim ultrà quàm credere niſi expertus poteris.

C V I I I.

Ubi ex oppoſito vaſa jam exhauſta fuerint, in debilibus macilentiſque vinum ge-

---

(*i*) *Vide Hippocrat. de morbis mulierum, lib.* I.

neroſum, exercitium, limatura martis recens, cortex quinæ-quinæ, quum vim vitæ & vaſorum augeant circuitumque humorum, omne abſolvunt punctum: ulterius verò deplere & obſtruit, & nocet. Hæcque ſedulò diſtinguenda monemus.

C I X.

Quæ cùm certâ ac multiplici comperta ſint experientiâ, indè haud obſcurè forſan patebit, quam ob rationem Hippocrates in gravidis ſanguinem demi vetuerit, & ubique in eo detrahendo parcior fuerit, quia in climate ſuo calidiore, ſanguinis jacturam ægriùs pati poſſe expertus didicerit, niſi in vehementibus inflammationibus, ubi σύχνον illum ἀφαιρέειν juſſit.

C X

Conceſſum quamvis ſit quòd medici priſtini nonnulli venas affatim, quòdque in una gravida duo corpora ſimul ſuſtineat, exhaurirent; facilè attamen, niſi copia ſanguinis malè habeat, detrahi non debet, fluxum enim ejus cum impetu miſſionem ſubſequutum aliquoties novi, idque, ubi copia ejus non deeſſe videbatur, cum magno abortûs diſcrimine.

C X I.

Catharticum periculoſa (*k*) ſanè aleâ in

(*k*) Puerpera purpurâ laborans, cathartico leniore ſumpto eodem die mortua eſt.

purpura experimur, niſi urina concocta, puſtulæve jam ferè fuerint exſiccatæ. Tum equidem operâ hujus ſed lenioris à febre nondum penitus deflagrata ſubtrahes fomitem, imprimis ubi alvus ſegnior fuerit ex decubitu diuturno, victu parco, ſudore effuſo, vel abſorbentium uſu protracto.

CXII.

Monuit divus ſenex concocta non cruda, nec fortiori nec leviori pharmaco eſſe purganda, niſi ægrotantibus ipſis quemdam turgeſcentiæ ſenſum inferant; nec in febribus quibus à principio urinæ ſunt tenues, ſi quid enim circa ventrem commoveris urina non concoquitur, & morbus abſque criſi in longum tempus protrahitur.

CXIII.

A præcellentibus archiatris monitum novimus alvum circa primos à partu dies leniter eſſe commovendam, eo nempe fine ut vitii hujus incurſus & inſidiæ vitarentur; vix tamen indè expectatum ægris ſubſidium, docet enim experientia puerperas, alvo etiam fuſiore, idem, ac cæteræ quibus non fuiſſet ſubducta, fatum ſubire.

CXIV.

Utcumque verò hæc ſeſe habeant, ventrem intra triduum à partu clyſmate eluiſſe,

aut granis aliquot Rhabarbari emolliiſſe ſæpiſſimè profuit, nunquam áutem obfuit.

CXV.

Et hoc eò libentius hìc ſuademus, quòd ignaræ quibus res plerùmque committitur mulierculæ, metu diarrhææ (puerperis pluries adverſæ) ventrem ſolvi nolunt, donec incommodô aliquô ex alvo reſtricta coactæ, votô difficulter poſteà potiuntur, certè cum ægrotæ pari periculo, & cruciatu, haud ipſo partu leviore aliquando, quemadmodum dolentes ſæpe queſtæ ſunt.

CXVI.

Nec metuit ſummus in medendo præceptor etiam ſucci ſcammonii potionis quintam partem, partemque aut ſeſeli vel alterius cujuſdam ex odoratis exhibere, rutamque ex vino albo; ſi ex partu moderata purgatione contingente venter maneat, aut etiam ex flatu concluſo dolor excitetur, vel cum febre vel citra febrem (*l*).

CXVII.

In gravidis nec ſanguinis miſſionem, nec catharſin valuiſſe ad purpuram in puerperio inſequenti avertendam unquam obſervavi, præcipuè cùm genio voraci ac intemperato cæ raro, quantum par eſt, reſiſtant.

(*l*) *Vide Hippor. de his quæ uterum non gerunt.*

CXVIII.

Quamquam ægroti ſudore utplurimùm diffluant, & ferè reſolvantur, nec temerè cohibendus is, nec facilè urgendus eſt, utrumque enim periculoſum.

GXIX.

Lecti tepor favet ſudori, favet eruptioni, ac materiæ crebro immitis ac malignæ diſſipationi.

CXX.

Situs corporis interim non eſt negligendus, erectus enim vires imminuit, reclinis ſuſtentat. Spiritus namque hìc ex minimo motu corporis præſertim erecti tantùm non intercluduntur, non ſecus ac in febribus mali moris quibuſdam, ſcorbuto, morbiſque pulmoni infenſiſſimis.

CXXI.

Eòque magìs hoc monendum puto, quòd incautus æger, dum ſymptomatum vis miteſci videatur, lectum relinquens, ſive appetitui indulgens, recrudeſcentium denuò vehementiâ acquiſitâ inopinatè obrui periclitetur. Duas puerperas miliaceas è lecto imprudenter & intempeſtivè motas, cadavera intra horam novi reportatas.

CXXII.

Ad humorem, qui hìc peccat, tam diluendum, quàm eliminandum, quâ arceri prodeſt, potentur in lecto affatim infuſa calida, aromatica ſpiritu ſubtili præſtantia è mentha, ſalvia, meliſſa, chamæmeli, & ſambuci floribus, adjuncto quovis ſpiritu volatili alcalino, grato & cardiaco, vel elixir balſamico ex amaris temperatis parato.

CXXIII.

Sitis importuna hiſce & ſimilibus etiam optimè ſedatur; ſpirituſque vitiô inquinati cùm ſæpiſſimè collabantur, toties hujuſmodi ſunt reficiendi.

CXXIV.

Non deſunt, qui infuſi e baccis Caffe, aut e Thea ex India allata potui nimio & abuſui morbi noſtro ævo frequentiam tribuant, at horum ſententiæ, ut alia omittam, refragari videtur, quòd pauperes, atque infimi ordinis homines, qui illis compotationibus præſertim e caffe rariùs utuntur, purpurâ nihilominus ſæpe defœdantur.

CXXV.

Ut verò quod res eſt hoc in loco confiteamur, languores non abſimiles iis, qui in purpura obſervantur, plurimis ſuperveniunt

qui iſtis liquoribus palato quidem gratis, at ventriculo infenſiſſimis abutuntur.

CXXVI.

Has igitur compotationes, cùm nervis, præcipuè illis, qui præcordia perreptant, inimiciſſimæ deprehendantur, omninò rejiciendas cenſemus; illa e caffe potiſſimùm, utpote quam lochia cohibuiſſe novimus, recens enixis interdicenda videtur.

CXXVII.

Quum nondum verò ſatìs amplâ de hoc inſtructus ſim experientiâ, hìc pauliſper hæreo: Chaova enim decocta inter Ægyptias menſibus evocandis ab uteri venis obſtructis præſtantiſſima, reperta fuit a Proſpero Alpino. (*m*)

CXXVIII.

Ructus acidi & aliquando vomitus, ſudores, alvique fœces acore redolentes, morbi præ ſe ferunt indolem, ſimul & medicinam: vix idcirco niſi expertis credibile quantùm hìc juvant obſorbentia, alcaleſcentia mitia, infuſa temperata ſale alcalino prædita, quàmque ſint ſupra omnia *καρδιακότατα* humores acres tum domantia, tum expellentia.

(*m*) *Vide Proſper. Alpin. de Ægyptiorum Medic. lib* IV. *c.* 3.

CXXIX.

In vehementi tamen ſpirituum depreſſione, cum deferbuit febris, cochleare unum aut alterum vini generoſi non denegandum eſt ægrotis præſertim ſudore nimio reſolutis: quemadmodum genuini ſcholæ Hippocraticæ diſcipuli Huxham, & Glaſs uno ore præcipiunt, quodque optimo cum fructu ſæpenumero exhibui, præcipuè cum veſicularum eruptio æſtuſque febris jam exacti eſſent.

CXXX.

Quotieſcunque enim metus eſt ne homo penitus diſſolvatur, præclariſſimum ſubſidium vinum eſt, celeriter cùm reficiat vires ſpirituſque, ad extremitates uſque permeans: nervos torpentes expergefacit, frigidos fovet, nimium madorem & quaſi diffluentem coercet: animum denique languentem fulcire, & delirantem demulcere poteſt. (*n*)

CXXXI.

Hyſterica paſſio cùm ægras frequenter obſideat, earum animi omnimodo confirmari debent ſpe reconvaleſcentiæ, opus perarduum quantumcunque fuerit: & hìc crocus, caſtoreum, vinum, ſuccinata, idque genus medicamenta maximè pollent.

(*n*) *Vide Aretæum de cura Phrenitidis.*

CXXXII.

Cùm in nulla alia febre magìs deſiderari videtur ſpirituum quies, aut ſomnus conſuetô etiam longior magìs proſit, an non opiatis propterea quandoque concilianda?

CXXXIII.

Ego non ſolùm, inquit Aëtius veſperi ad ſomnum conciliandum, vel ad tuſſim arcendam, ſed deſipientibus quoque poſt ſanguinis miſſionem, & vehementiſſimè febricitantibus frequenter diacodium exhibeo, immo & ad os ventriculi intolerabili dolore affectum, & ad eryſipelata, reliquoſque calidiores morbos feliciſſimè transfero; & declarare facilè poſſum me ad putridas febres, ante morbi vigorem ſexcenties expertum fuiſſe. (*o*)

CXXXIV.

Alexander Trallianus quoque (ut alios prætercam) poſtquam in phrenitide, quæ idonea videbantur, incaſſum adhibuiſſet, ſomnum ægrotanti conciliare omni modo laborabat, tanquam ſummum delirantium ſubſidium, totiuſque morbi : ideoque ad diacodium deveniebat, quod, inquit, vigiliam

(*o*) *Vide Aëtii libr.* v. *cap.* 135.

liam non ſolùm ſanabit, ſed & febrem, & caput igne quaſi exuſtum refrigerare poteſt. (*p*)

CXXXV.

Ad condenſationem ſpirituum per fugam (quaſi avolantium) longè potentiſſimum & efficaciſſimum poſuit opium philoſophiæ lumen illud corruſcans Verulam. (*q*) Idque in hæmorrhagiis enormibus atque horrendis, inſtar jovis ipſius manus centies præſtaſſe lætus recordor.

CXXXVI.

Quum igitur in febribus ipſis morbiſque varii generis, ubi vigiliæ & inquietudines peſſima inducunt mala, nîl præſtantius ſit quàm ſomnum, modò tutò fieri poteſt, conciliaſſe, præſertim ubi ex humoribus potiùs concitatis, quàm in vaſculis arctè impactis, morbus oriri videtur; cùmque in multis opiata etiam a ſeveriſſimi judicii medicis convenire ſæpè reperiantur, ut in febre ſtationaria, nova, & ſcarlatina Sydenhami, in variolis, morbillis, incipiente tabe, dyſenteria, ut alia prætercam mala, in quibus vel dolores vel vigilias, vel de-

---

(*p*) *Vide Alexandri Tralliani libri* I. *de Cura Phrenitidis.*

(*q*) *Vide Verulamium de Vita & Morte.*

liria ſæva horum ope tutò, & frequenter ſedata fuiſſe nôrunt vel in arte Tyrones. Utque verbo dicam, ubicumque ferè ſpiritus irrequieti & furibundi valdè exagitantur; nondum mihi conſtitit, quam ob rationem in hoc morbo, non modò pari, ſed jure quàm in illis potiore opiata, tutò feliciterque exhiberi non poſſint; cùm, quemadmodum jam dictum eſt, ſomnus multus tantam hic polliceatur ſecuritatem.

CXXXVII.

Profectò in alvo precipite & perturbata, in dejectione & inquietudine ſpirituum, hìc magnòpere metuenda, in vigiliis, in puſtularum retroceſſione, in Lochiis nimiis, itidemque ſuppreſſis, opiata omnibus palmam præripiunt; immo omitti ea nonnunquam minùs tutum foret, cum crebrò excretiones nimiæ nec ſiſti, nec deficientes proritari poſſint, nec ſomnus abſque illis obtineri.

CXXXVIII.

Diacodium, & elixir paregoricum equidem in caſibus commemoratis, ipſe felici & frequenti uſu expertus omnibus quibuſcunque opiatis ante pono, quantumcumque in hoc morbo laudibus celebrentur a quibuſdam; niſi ubi cordis aut ventriculi oppreſſio in materia expellenda, calidioribus aromaticiſve naturam quandoque egere monſtrat.

CXXXIX.

Delirium, quod non raró præſertim in principio invadit, dum materia acris ad externa expellitur, hâc expulsâ, ſua ſponte ſæpenumero ceſſat. Puſtulis tamen non exeuntibus, iiſve retropulſis, in mente turbata aut inſomniis, multò plus camphoræ & veſicatoriis, quàm antomonii calci tribuo.

CXL.

Camphora namque, cùm ſit ſpirituoſa, tenuitate ſua abſque acrimonia tum perſpirationem in inflammationibus juvat, tum ſpiritus inquietos ſopit.

CXLI.

Dolores, colicos æmulantes feliciſſimè pacantur fotu e ſpirituoſis, aromaticis, carminativis; nec ad papaveracea largioribus doſibus propinata, qualium meminit D. Hamilton, mihi hactenus recurrere neceſſe fuit.

CXLII.

Iidem, quoties uteri regionem ſæviùs invadunt, ſtupis omnino ex ejuſmodi decoctis expreſſis diligenter ſunt leniendi.

CXLIII.

In utroque genere clyſmata ſunt nonnunquam ſubmittenda e mitiſſimis, lacte vacci-

no ſimplici, decocto florum chamæmeli aut ſambuci, jure pullino, aut avenaceo; nullo verò pacto ſtimulantia vel acria adhibueris, ne feras nimis des pœnas delicti.

CXLIV.

Teneſmus, & is profectò crudelis, hìc alvum & ſicccam & liquidam comitatur, quem nunquam ſine fotu, vel paregorico ſopitum vidi.

CXLV.

Prædicta quidem admodum utilia experimur, ubi non peſſima ſimul ingruunt mala: ſi tamen horum συνδρόμη adoriatur, ſæviatve, quantumvis ab exteris medicis veſicatoriorum e cantharidibus uſus penitus ferè negligatur, nequeo hoc in loco tacere illa mira, longèque ultra ſpem ſæpenumero præſtaſſe, nec quodvis iis tutius etiam inter puerperas adhiberi poſſe; quod periculo frequenti facto, & felici eventu, expertus affirmo.

CXLVI.

An quòd acre ſerum edoment talia, & emittant? An quòd alienas materiæ tranſlationes invertant, revocentve ad emiſſaria commodiora? An quod acri ſale, quô abundant, vim vaſorum augeant, & ſuſtentent? An quòd energiâ ſibi propriâ peculiari morbi genio quadrent?

CXLVII.

Certè in dyſpnœa ferè ſuffocativa, præcordiorumque anguſtia, in puſtulis minùs exſtantibus, iiſve retrocedentibus, in alvo nimiùm fuſa, vel ubi morbus ad domicilium mentis rapitur, inſignia ſimul & ſecuriſſima ſunt præſidia, quæque, modò ſymptomatum poſtulet vehementia, nonnunquam repetita proſunt.

CXLVIII.

Diarrhœa hìc ſæpe funeſta, nunquam ferè non timenda, Rhabarbari doſi media, ſeu papaveris ſucci, alimentis gelatinoſis, blandis, iiſque quibus acres acidi ſucci abſorbentur, vel ad cutim leviter pelluntur, compeſcenda eſt: modò ex illa vires, puerperis præſertim nimiùm proſterni metus ſit.

CXLIX.

Aliquoties enim mali moris materies per alvum feliciter excernitur, ubi vomitu in principio non rejiciebatur, hìcque intus coërceri, juxta ac in aliis indolis quoque deterioris, plurimùm noceret.

CL.

Veſicatoria interea ſuris imprimis apponenda ſunt, incredibilis enimverò valet ſympathia imas inter partes, inteſtinaque, haud minorem dixerim quàm hæc inter & cutim.

C L I.

Nec in corpore humano obſervatur magìs conſuetus, crebriorve motus quàm ille ex conſenſu.

C L I I.

Extremis dolentibus, vel tumentibus lecti tepore, panniſque laneis tum ex aromaticis decoctis expreſſis, tum poſtea ſiccis involutis ſubveniendum, lenique frictione.

C L I I I.

Sin, deſquammatis jam puſtulis, & febre extinctâ, tumor, ſicut ſæpe evenit, negotium faceſſat, medicamento viribus convenienti humor paulatim eſt evocandus, eôque, qui per renes trahit potiſſimùm.

C L I V.

Spiritum cochlearis hortenſis nondum vidi multùm contuliſſe, quantumvis celeberrimo Hamilton placuerit.

C L V.

Aſt corticis peruviani uſu maximè, extremorum tonus eſt firmandus, multôque, ut primùm tulerint vires, corporis exercitiô.

C L V I.

Puſtulæ, dum in cutim expelluntur, ut non levem acrimoniâ ſuâ movent moleſtiam,

ita, depoſitis tandem exuviis, excipiuntur prurigine quàm infenſa, quæ lacti aſinino, aquis temperatis, balneiſque cedit plerùmque, aut degenerat in chronicam adeò pertinacem, ut quem ſemel occupavit, haud ſanè dimittit facilè, quin & aliquos ad interitum uſque inſectatur.

CLVII.

Cortex peruvianus, ex quo eximia ejus in plurimis morbis curandis vis eluxit, huc quoque ſubſidiô acceſſit, vario quidem cum ſucceſſu, prout peritè vel imperitè dabatur; nec mirum ſi, rebus benè cedentibus, uſus ejus laudibus effertur præclaris, ſin malè, tanquam venenum rejicitur. Ut hanc, quantùm valeo, litem candidè componam.

CLVIII.

Ubi horrores vagi & æſtus incerti, inquietudines ſummæ anxietateſque, urina cruda, eruptiones vix extuberantes, cæteraque peſſima jam memorata ſymptomata crudum nec remittentem adhuc oſtendunt morbum, naturamque in materia coquenda laborantem, corticem credo, non impunè, ſed cum ingenti damno exhiberi. (*r*)

(*r*) *Vide D. Hamilton, and the Subject of Mithridates de Febri Miliari.*

CLIX.

È contrario ubi morbus intermittentis ſpeciem præ ſe ferebat, id eſt, ubi rigores & calores periodum quandam magis definitam ſervabant; ubi poroxyſmorum exacerbationes ſubinde plurimùm defervebant, cùmque urina divulſa quaſi fiebat, vel ut aiunt, lateritia apparebat, tum corticem uberrimo cum fructu, nullôque periculô certè aliquoties propinavi, etiam non diù ab ipſa morbi ἀκμὴ.

CLX.

Equidem hoc affirmare poſſum, plurimos, qui hoc morbo perierunt, ſervari potuiſſe, ſi ad febris typum animum attentiùs medici adhibuiſſent. (*s*) De hoc autem ad amici & medici mei (cujus peritiâ non ita dudum ex febre periculoſiſſimâ ereptus ſum) D. Caroli Balguy epiſtolam lectorem relego.

CLXI.

In febre nervoſa cum puſtulis miliaribus diù protractis multùm ſæpe profuit, rhæi

---

(*s*) Corticis Quin-quinæ circiter drachmæ ſex ſine vel minimo incommodo, aut damno duobus ægrotis, priuſquam eruptionis miliaris ſpes fuit, ingerebantur, cum ſcilicet morbus typum intermittentis præ ſe ferret.

tantillô colluviem morboſam deorſum expuliſſe; ut cum D. Huxham teſtari poſſum.

CLXII.

Sit hìc diæta, ſi in quovis alio, exactiſſimè ordinata. Decocta ex avena, oryza, hordeo, pullo tenero, gelatinæ cum pane triticeo, & ſi ſit, bis cocto, non denegatô vini pauxillô, rem penitus abſolvunt.

CLXIII.

Minima victûs cruditas, quæcunque inflant, acidaque omnia in purpura prorſus inepta ſunt, alvum enim hìc nimis ſæpe mobilem implent, vel perturbant, vel ſolvunt, cum certa moleſtia, & aliquo periculo.

CLXIV.

Lac, emulſiones, & refrigerantia, inter quæ primas tenent nitrata nihil conferunt, ubi humores, ultra quàm par eſt, ſive ſolvi videntur, ſive extenuari, ſpirituſve condenſari, ut cum Verulam loquar, ſeu ſolidorum vis, & contentio remittunt.

CLXV.

Nitrum feliciùs accommodatur cauſonibus & peſtilentibus febribus, ad leniendos & frænandos ardores earum pernicioſos.

CLXVI.

Cuticulâ tandem deſquammatâ, ſicut ubique fit, modò res fuerint ſecundæ, periculum morbi fœdumque inquinamentum non facilè delendum monſtrant etiam vitia hoc excipientia, quæque ſæpe fiunt ſaluti obſtacula integræ; qualia ſunt febricula, vel cachexia, vel affectio hyſterica, malorum non minimum; aliquando colica, aliquando carbunculi, tumor crurum interdum ulceroſus, abſceſſus in variis locis, in facie vari, e matrice fluxus, aut cohibitus, aut nimium manans, aut fædior; melancholia dira, purpurave ipſa chronica. Quibus medicina prout res poſtulat, eſt aptanda; neque enim hìc in tam latam deſcendimus arenam.

FINIS.

DISSERTATIO

DE

HEMICRANIA.

DE
HEMICRANIA.

DE morbis capitis adeò multa & egregia tum antiqui tum recentiores ſcriptis mandarunt, ut vix aliquid in hoc argumento, quantumvis multiplici, intactum relinqui videatur. Supereſt tamen unum, nec id leve, vitium HEMICRANIA ſcilicet, de qua cùm nihil quod ſciam in monumentis medicis ſatìs exactum occurrat, haud inutile nec ingratum fore duxi, quæ in aliis intentâ obſervatione notaveram, quæque ipſe in me non leviter eram expertus, hìc paucis perſtringere.

I.

HEMICRANIA partem capitis dimidiam, (prout vox ipſa exprimit) eandemque anteriorem plerùmque obſidet; normâ quidem tam accuratâ, ut aliquando lineam naſi mediam ad amuſſim attingat, ultra verò illam nequaquam progrediatur, ſicut deſcribit Aretæus. (*a*)

(*a*) Præterea dolor modò eſt in toto capite, modò in dextra magis, modò in ſiniſtra, modò circa frontem aut ſinciput: hæcque eodem die incertè atque erraticè fieri ſolent. Quidam dextrâ tantum parte dolent, quidam lævâ, quâ tempus, vel auris, vel ſupercilium unum, vel oculus ad medium uſque terminatur, vel quâ naſus in æquas partes dividit: ultra quem terminum dolor non progreditur, dimidium tantùm capitis occupans. *Vide Aret. Lib. 1. de cauſis & ſignis diuturnor. morbor. Cap. 2.*

II.

Siniſtram capitis partem dextrâ ſæpius vexari obſervarunt nonnulli.

III.

Revertitur quandoque in diuturnum uſque ſpatium per periodos, haud ſecus ac intermittentium acceſſiones, aut quotidie, aut altero quoque die, ad eandemque ſæpe horam. A nullo autem præeunte rigore, a nullo ſicut in illis fit, horrore anteceditur hicce dolor; qui primo ſtatim ab initio quidem ſævior, brevì immaniter exaſperatur.

IV.

Invadit profectò nonnunquam nullâ, quæ percipi poteſt, ansâ oblatâ, nullo in ſex rebus naturalibus errore commiſſo, abſque nauſea, dolore vago, aut laſſitudine, aut febri acuta, qualis ex ſiti, calore, inquietudine oſtenditur, niſi quòd pulſus durior fiat, & frequentior.

V.

Primis diebus non adeò torquentur ægroti, nullo autem pacto idcirco, vel quia intermittat, exiguum putent eſſe malum, nam in dies dolor intenditur: Cruciatus ſuperveniunt acerbiores, arteriarum ictus præſertim temporalium durante paroxyſmo au-

gentur, & accelerantur, finitô verò denuò ſubſidunt tardique fiunt.

V I.

Ubi dolor ſævit immanis, oculus partis affectæ ut plurimùm cruciatur admodum, introtrahi videtur, imminuique, nec pati valet lumen; & offunduntur illi tenebræ: quàm primùm verò præteriit paroxyſmus, vis ejus, & acies reſtituuntur. Quantùm in acceſſionis vehementia, aut per morbum protractum, patiantur miſeri facundè ſcripſit Aretæus. (*b*)

V I I.

Calor non admodum exardet, malô etiam intenſiſſimô, nec ſubſequitur ferè ſudor vel

(*b*) Nam ſi acutè interdum impetum faciat, fœda atque atrocia detrimenta adfert: nervi diſtenduntur, facies obtorquetur, oculi vel contenti inſtar cornu rigidi ſunt, vel huc atque illuc interius convelluntur, ac vertiginosè agitantur, in ipſiſque dolor profundus uſque ad intimas tunicas deſcendit. Sudor ex tendonibus immodicus effluit repentè, neque cohiberi poteſt: neque ulla cauſa præceſſit, perinde ac ſi quis ligno plagam inflixerit. Nauſea, & vomitus bilioſus comitantur: homo conſiſtere nequit, ſed in terram delabitur. quod ſi vitium quandoque increſcit, de hominis vitâ actum eſt: at ſi debilius eſt, & citra vitæ periculum, diutiùs permanet: pigritia multa adeſt, & capitis gravitas: animi pendent: vitam ægrè ferunt. Fugiunt enim quodammodo lucem: tenebræque his ægritudinem ſolantur. Neque quicquam jucundi aut intueri, aut audire ſuſtinent. Olfactorius in iis ſenſus infectus eſt, neque quicquam eos bene olens oblectat, pariter quoque graveolentia deteſtantur. Vita ipſis inviſa eſt, mortemque diſcupiunt. *Vide Aretæum de cauſis & ſignis morbor. diuturnor., lib.* 1. *C.* 2.

mador quivis ſenſibilis, niſi in iis, quibus Hemicraniam vehementiorem ſubire contigit; tuncque larga ſanguinis effuſione e naribus ſpontè oborta, vel modico circa tempora ſudore, tum febris, tum dolor deſiêrunt.

VIII.

Lotium tamen, quod redditur copioſius quidem, finitô paroxyſmô, leve ut plurimùm, albumque deponit ſedimentum, aliquando rubro-lateritium, id verò, (quod notatu dignum) rariùs, niſi ſimul acceſſerit Febris, quæ interdum Hemicraniam comitatur.

IX.

Paroxyſmi duratio incerta & indefinita ad tres, ſex, duodecim, pluresve protrahitur plerùmque horas; ultra biduum quoque productum legimus; in paucis omnium miſerrimis nec remiſiſſe, nec ullis remediis unquam curatum morbum novimus.

X

Prætereundum non eſt, quòd ut oculi, ſic mentis quoque acies non infrequenter obfuſcetur a morbo diuturniore & atrociore; unde etiam memoriæ damnum invehitur nunquam reſarciundum, aut ſaltem aliqua in capite imbecillitas non quidem periculoſa, gravis tamen, & quæ ad mortem plerùmque duret.

XI.

X I.

Quin ex eodem morbo diù perpeſſo in aliquibus non modò oculus caliginoſus videtur, & viſus obſcurior fit, ſed etiam muſculus crotaphites ipſumque caput, quâ afficitur, macie tabeſcunt, ſicut meâ aliorumque noxâ conſtitit. (*c*)

X I I.

Quos ſemel tentavit hic morbus eos poſtea faciliùs & ſæpius invadit, adeò verùm hìc certè, aut alibi nuſquam Hippocratis effatum, partem nempe jam læſam cæteris in poſterum longè fieri debiliorem, maloque cuivis opportunam. Quin etiam ſi quem diutius vexaverit, is ab exiguo in victu exceſſu, aut cibo deteriore, ſomno nimio vigiliiſve, agitatione, vocis conten-

---

(*c*) Quantum id genus injuriæ inferunt dolor diù acerbus, partiumque nervoſarum vellicatio & oppreſſio, manifeſtò liquet in atrophia ex veſicæ calculo, in nervorum vulneribus, luxatis articulis non ritè repoſitis, membriſve fractis, memorabilique exemplo quod exhibuit illuſtriſſimus Philoſophus Boyle. In juvene cui ex fracta calvaria, relictâque in vulnere ſquamulâ exili, paralyſis in latere κατ' ἴξιν, & macilentia ingens ſupervenerunt, quæ non priùs, demptum quàm fuiſſet oſſiculum, in integrum reſtituta ſunt.

tione, cæli varietate, & inclementia recidivam patitur.

XIII.

Carolus Piſo per annos triginta hoc paſſus malum eſt, nec illum unquam dimittebat in integrum niſi æſtate aliquando, cùm effuſus per calorem erupiſſet ei ſudor. Laborabat potiſſimùm ex ſubitis aëris mutationibus, vel nimbo aliquo e cœlo ruente.

XIV.

In mulieribus huic vitio obnoxiis redeunte menſtrui fluxûs periodo, redintegrari ſolet Hemicrania, quæ non priùs recedit quàm catamenia effluxerint.

XV.

Quibus circa annos pubertatis narium hæmorrhagiæ ſæpe erumpebant, jam verò exactis hiſce non fiunt, iis Cephaleæ contingunt maximè, non ſine multo ſanguinis diſpendio tollendæ.

XVI.

Quemadmodum ubi caput dolore Hemicranico affligitur, brevì minuitur tranſpiratio, indeque materies perſpirabilis acris fit, ita hâc denuo expulsâ, leve fit corpus, & liberatur caput juxta Sanctorii obſervata.

XVII.

At epidemicè graſſatur quandoque, vici ejuſdem ac laris ſimul & ſemel adgrediens complures, nec ſine contagii ſuſpicione.

XVIII.

Etſi exiſtimârunt nonnulli morbum hunc e præcordiis ſubditiſve partibus ſolummodo excitari, quibus cum capite arctiſſima quædam intercedit ſympathia; ego tamen illum plerùmque idiopaticum (ut, qui ſyſtemata condunt, loqui amant) potiùs eſſe autumarem; quoniam ſæpiſſimè nulla ventriculi nauſea, nec flatus, nec hypochondriorum dolor, nec alvi durities inſueta præcedant; quòd epidemicè aliquando corripiat; quòd ſæpe cieatur ab aëre, ſole, vel frigore, quorum actioni caput multò magìs eſſe opportunum quàm ventriculum parteſve ſubjectas, omnes nôrunt.

XIX.

Dolorem quemdam a noſtro haud alienum ſuturis nimis arctè coalitis deberi voluit ſedulus anatomicus Columbus.

XX.

Thomas Bartholinus narrat illum ex conſenſu quandoque oriri, etiam in calculo renis laborantibus, eodem nempe in latere.

XXI.

Aliqui, acie forſan nimis ſubtili, Hemicraniæ cruciatum interſepimento falciformi referunt, quòd, ubique fieri nequit, quum ſæpius muſculos temporales foris obſideat non minùs ac partes internas ab illis intermediô craniô ſeparatas. (*d*)

XXII.

Ex obſtructis naribus Hemicraniam aliquoties naſci, eamdemque muci effluxu levari obſervavit Wepferus.

XXIII.

Ex oſſium cranii aut carie, aut præter naturam augmento, aut e cartilaginoſa ſubſtantia calvariæ adnata derivari Hemicraniam expertus eſt idem Wepferus, & ego plùs ſemel vidi, imprimis in generoſo Domino Philippo Ward armigero de Stoke-Doyle in provincia Northamptonienſi.

XXIV.

Detectis poſt mortem calvariis quorundam Hemicraniæ obnoxiorum, cerebrum quandoque deprehenſum eſt corruptum, quandoque ichore refertum & ſanie.

(*d*) *Vide Spigel Anat. lib* x. *c*. 3.

XXV.

Apparet ſanguis e vena detractus nec colore, nec conſiſtentiâ, a naturali alienus.

XXVI.

Hoc vitio laceſſiti delabuntur non pauci in epilepſiam, apoplexiam, & paralyſim, aliave capitis mala: cùm par omnium ſit fons, pituita nempe in cerebrum ejuſque membranas diffuſa.

XXVII.

Si in iis, quos vexare conſuevit Hemicrania, ætate aucta ſuperveniat arthritis, illa, cùm utrumque vitium non penitus diſſimile ſit, ut plurimùm evaneſcit, materiâ forſan in articulos jam tranſlatâ. Et hæc præcipua ſunt quæ ad morbi genium pertinent.

XXVIII.

Ad curam mali tam gravis, quæ propiùs attineant, nunc aggreſſurus, quin veniam a lectore impetrem nullus dubito, ſi quæ in genere authores ſyſtematici hac de re prodidêre priùs tradam, ſimulque proferam ea quibus ipſe mihi opitulari dicici; & præ cæteris medicamentum, quod etſi in hujus morbi medela forſan non ſit novum, haud tamen, meô ſaltem judiciô, ſatìs pro merito hactenus commendatum eſt.

XXIX.

Sit tibi imprimis curæ ne altas inſigat radices malum tam pertinax, ægerrimè nam poſtea evellentur. Hic igitur, quemadmodum omnes morbi acuti, modò, non infirmitate, ſed onere noceant, venæ-ſectionem requirit.

XXX.

In paroxyſmis ſæviſſimis ſanguinem mitti nec mihi, nec aliis acerbitatem unquam lenibat doloris, nec vel minimùm proderat.

XXXI.

Quando dolor partem capitis occupat poſteriorem, proderit in fronte venam incidere, & vice versà. Hoc etiam pacto diuturnæ oculorum fluxiones ſæpius ſanantur, e partibus ad occiput ſanguine detracto; idque Galeni confirmatur aliorumque experientiâ.

XXXII.

In capitis morbis qui a redundantia ſanguinis ortum ducunt, ejus miſſionem obſervavit Fridericus Hoffmannus eò (*e*) feliciorem, quò propiùs parti inſtituta fuerit dolenti, quòd pluries etiam notavi.

(*e*) *Vide Fridericum Hoffmannum de Dolore Cephalico.*

XXXIII.

Ex jugularium præ cæteris ſectione magnum allatum eſt ſubſidium plurimis Hemicrania atroci laborantibus, in conſtitutione epidemica Taurinenſi anni 1621. (*f*)

XXXIV.

Ab eo abhorrentibus adminiculo, hirudines temporibus affixæ haud imparem attulêre opem.

XXXV.

Arteriotomiæ tamen in temporibus haud multùm fidendum eſt, quicquid Wepferus, Severinus, ac Paræus in contrarium ſtatuerint; enimvero, quantum plurimâ diverſis in noſocomiis conſtitit experientiâ, breve & incertum affert ſubſidium; nec magîs prodeſt arteriæ ad tempus ſuppreſſio, carotidis alii namque rami non minùs membranas obſtructas pervellunt ac implent: fatendum igitur eſt, arteriæ rarò plus quàm venæ ſectionem hìc præſtare.

XXXVI.

Compreſſio vel frictio nervi, qui cranium ſupra oculi orbitam perforat, dolorem aliquando lenit, certè nunquam delet.

(*f*) *Vide Conſtitut. Taurin.* 1721 *Do. Carolo Richa*

XXXVII.

In hoc morbo pulcherrimè agunt nonnunquam emetica, ideoque, detracto priùs ſanguine, audacter exhibenda ſunt iis imprimis, quibus vel ventriculus cruditatibus ſcatet, vel morbus intermittentis typum induit. Carolus Piſo vomitione excitatâ liberatus eſt plerùmque, ſicut quoque Petri Borelli parens.

XXXVIII.

Evocatus e capite benè tecto mador, paroxyſmum ſæpe levat, interdum etiam tollit.

XXXIX.

Alios adjuvant calida cataplaſmata & fotus, mihi verò nihil contulêre. Calor attamen, utplurimùm magnopere prodeſt. Frigus è contrario nunquam non inimicum eſt nervis, & Cerebro.

X L.

Ex ſero acriori puſtulæ nonnunquam inſigni cum fructu effloreſcunt frontem circa & ſinciput; illarum autem retroceſſio dolorem aliquando redintegrat.

X L I.

Stillicidium narium aquoſum ſpiritu ſalis ammoniaci volatili provocatum, morbum ſol-

viſſe notum eſt (*g*). Spiritus quoque volatilis e cruore humano arte elicitus plurimùm a Do. Boyle laudatur tam internè quàm externè adhibitus.

XLII.

In omnibus capitis vitiis pituita omnino evocanda eſt vel ptarmicis, vel ex ore; deinde permultâ aquâ calidâ caput perfundi prodeſt, quò obſtructum perſpirabile reddatur.

XLIII.

Caput ad cutem totum ne tondeas, etſi enim aquâ frigidâ perlui multùm juvet, ex aëris mutationibus, præſertim à frigore dolores vi majore recrudeſcunt.

XLIV.

Jubet Celſus reſinâ tempora ſubinde pervellere, & impoſito ſinapi exulcerare ea, quæ malè habent; ſed multiplici conſtitit experientia, veſicatoria capiti aut nuchæ appoſita plus mille aliis profeciſſe, & interdum ſine quovis alio remedio repentè, penituſque ab iis malum fuiſſe curatum.

XLV.

Linimentô e cantharidibus in Hemicrania utebatur jam dudum Archigenes, quod qui-

(*g*) *Vide Obſervat.* 184. *Ephem. German. Decur. ann. prim. tom.* 3.

dem mirum in modum prodeſt; præſertim ſi ab ulcuſculis diutiùs manaverit ſanies. Oportet tamen interea lactis potione, aliiſque congruis demulcentibus veſicam munire, & potiſſimùm ſi vertex epiſpaſticô e cantharidibus exulceretur; quòd obiter hìc notari velim.

XLVI.

Idem herbam ſtœchadem in aqua ſeu mulſa elixatam cephalalgicis & hemicranicis tanquam unicum maximumque auxilium exhibebat, fateor verò me nondum hujus utilitatem fuiſſe expertum.

XLVII.

Nonnulli magnâ lotii quantitate emiſſâ liberantur.

XLVIII.

Sudores opiatis eliciti cum ſomno, diuturnos eoſdemque acerbiſſimos dolores interdum ſolvêre (*b*); annon idcirco malo vehementiùs ſæviente, hydrotica, præmiſſis univerſalibus propinanda, quo ſerum præcipuus morbi fomes educatur?

XLIX.

Annon decoctô vel pulvere ſarſæ ſudores

(*b*) *Vide Obſervat.* XVI. *tom.* 5. 2*d. Decur. Ephemer. German.*

& urina eliciundi? Hinc enim, ubi ſeri ſuſpicio fuit, non leve ſubſidium; & ſi Ballonio fides, Hemicraniæ utcumque pertinacis abſoluta curatio. (*i*)

L.

Ad id tandem devenio, quod palmarium mihi videtur remedium, radicem ſcilicet Valerianæ ſylveſtris, quæ largiori doſi ſumpta, & repetita ſæpe ſola, dolores ſanat tum acutos tum diuturnos. Me profectò adeò multa & gravia per quadriennium quotidie perpeſſum, ut vitæ ferè tæderet, maximè ſublevabat, & curabat.

L I.

Virtus tota in radice eſt, pulviſque ejus ſponte ortæ, & extirpatæ antequam caulem edat, ad unam ter, qvaterve de die, aut alteram, ſi ferat ventriculus, exhibitus drachmam, ut plurimùm votis reſpondet.

LII.

Hìc quoque vires anodynas ſuas, pulveres cinnabarati oſtendunt, doſis autem ſatis larga adhiberi debet, quemadmodum obſervarunt Boyle & Junckerus.

LIII.

Quantumcumque a compluribus celebre-

(*i*) *Vide Ballon. Conſil.*

tur in hoc morbo magnus iſte febrium, quæ per periodos recurrunt, domitor cortex peruvianus, maximâ tamen cautelâ, me ſaltem judice, propinari debet, nec priùs omnino, quàm morbus intermittentis formam induerit, exhiberi; cùm verò paroxyſmi periodicè recurrentes, lotium ſubſidens lateritium, cæteraque, quæ intermittentis indicant genium, ſigna adſint, tum demum haud abs re erit corticis periculum facere: aſt ſedulâ obſervatione quidem adhibitâ, quandoquidem hic juxta ac in aliis Hemicraniæ ſpeciebus, ubi minùs feliciter cedit cortex, vim vitii auget & ſecuritatem.

LIV.

Contraria contrariis curanda: a calore igitur ſi dolor excitetur, aquâ frigidâ caput irrigare expedit; ſi verò frigus morbi ſit cauſa, aquâ calidâ marinâ, aut veſtimentis calidis onerare. Si ſiccitas & ſitis ſimul adſint, balnea potiùs ex uſu ſunt, quàm agitatio ulla ſudorificis aut calidioribus medicamentis tentata.

L V.

Somnus nimius æquè ac vigiliæ inimicus eſt, ille namque ſenſibus ſtuporem invehit, capitique gravitatem, quâ omnis actio torpet: hæ cruditatem inducunt, alimentum ſubtrahunt, corpus labefactant, mentemque contriſtant, ſicut docuit Celſus.

L V I.

Dolorem ex vino vel cruditate ortum abſtinentia, & diæta exactiſſima, penitus diſcutiunt.

L V I I.

Ut in aliis cruciatibus ita & in hoc victûs ratio tenuis conducit. Ab acribus temperet æger & flatulentis.

L V I I I.

Cæna præſertim ſemper frugalis ſit & ſimplex, ne humores minùs cocti & perſpirati cerebrum gravent.

L I X.

Lac & Lacticinia Hemicranicis minùs idodea perhibentur; mihi tamen unquam obfuiſſe non memini.

L X.

Ad ſummum, ut præcepit Hippocrates, fugiat æger ſolem, ventos, vinum, ignem, fumum, acrium odores; denique quieſcat, mollique victûs ratione utatur.

L X I.

Alvus libera eſt ſervanda, aliquando etiam medicamentô ex hiera eam ſolvi expedit, aſt purgantia violentiora omnino nocent.

LXII.

Si dens exeſus aut ſolutus alveolô vacillet, & doleat, ſine mora evellendus.

LXIII.

De ſetaceorum in diuturnis cephalæis uſu conſulendi ſunt expertiſſimi viri Fabricius Hildanus, Johannes Jacobus Wepferus, Fridericus Ruyſchius, aliique in obſervationibus paſſim.

LXIV.

Si autem, omnibus tentatis, nihil proficiat, credibile eſt, vel humorem quemdam in cerebrum effuſum eſſe, vel cranium ſpinâ illatâ, carieve eroſum; vel denique aurem internam, ad tubam imprimis euſtachianam, maxillamve ſuperiorem abſcedere; quemadmodum in non paucis novi, (*k*) & in Dureti ſcholiis in Hollerium, Ballonio, aliiſque videre eſt; tumque hìc nihil conferes, niſi cariem appoſitâ tollas terebrà, aut exitum aliquem humori pares.

(*k*) Aliquos diù Hemicraniâ gravi ex his, & ex dente corrupto, aut vacillante laborantes videre contigit, dum in provincia Rutlandiæ verſarer, ubi, lociſque vicinis plurima dictorum obſervata ſunt.

FINIS.

EPISTOLA

Dris CAROLI BALGUY,

DE

MORBO MILIARI.

VIRO AMICISSIMO
J. FORDYCE, M. D.
C. BALGUY, S. D.

TRACTATUM *de Febri Miliari* accuratiſſimum perlegi, cujus ergo me maximè devinctum habes; petenti autem ſi quid, ipſe ad morbi genium ſpectans, obſervaverim, ut tecum communicarem, tandem morem gero; paucula quædam ad *ſpecies ejus* ritè diſtinguendas differens, hiſtoriâ unâ vel alterâ, quo *curandi ratio* confirmetur, adjectâ.

Febris itaque Miliaris (quæ purpuræ acutæ nomine apud exteros dignoſcitur) in triplicem diſcerni poteſt; vel enim puſtulæ *albæ* ſunt, febre *maligna* continenter urgente: vel *ſub-rubræ* febre inſigniter *remittente*: vel prorſus *efflorescentes* cùm ſpeciem *intermittentis* ſibi arroget: quod genus morbi etſi tutiſſimum, peritè minùs tractatum in *chronicum* tranſit, periculoſum aliquando, & ſæpius recidivum.

Nec methodus curandi magìs abſimilis quàm ſpecies ipſæ morbi ſunt; quippe in *primo genere*, ubi ſumma *malignitas* aliquando ſubeſt, res tota verſatur, ut quicquid

hoc *vitium* ſit ſub *præcordiis*, & *penitiori corporis habitu* latens, per *glandulas miliares* eliminetur. De hac ſpecie autem ſatìs fusè diſſeruit Cl. Hamiltonus.

In *ſecundo genere*, etſi ſub principium eadem ratio prorſus ineunda ſit, in proceſſu autem, cùm *fomes morboſus* maxima e parte excretus fuerit, exacerbationibus & remiſſionibus ſtatis ac certis periodis ſeſe excipientibus, quod reſtat morbi *cortice peruviano* expugnetur. Tertium autem genus, utpote ſpecies vera, & genuina *intermittentis*, more intermittentium curatur; hâc cautelâ adjunctâ, quòd cum *cruditatibus viſcerum* plerumque foveatur, medicamenta ad obſtructiones haſce reſerandas corticis uſui ritè præmittuntur, & quo radicitùs extirpetur, cum cortice ſociantur.

Hiſtorias jam candidè enarratas, ut diſtinctio hæc pleniùs innoteſcat, paucis accipe.

Uxor Dom. B. triginta circiter annorum, cui alvus aſtrictior, & menſes tardiùs fluere ſolebant, alioquin benè valens, & corpus rebus domeſticis ſatìs exercens; febricitans puſtulas miliares emiſit, facie, pectore, & manibus rubore ſuffuſis. Poſt alvi itaque ſolutionem attemperantibus ad diaphoreſin fovendam inſiſtebatur, veſicatoriis ſucceſſivè ad Nucham & Brachia appoſitis. Cùm eruptiones autem per menſis ferè ſpatium crudeſcerent, & jam

veſperi magìs ingruentes ſub auroram prope evanuerint, de corticis periculum faciendo ſtatutum erat, ea doſi, & modo, ut de minùs fauſto ejus effectu caveretur. Coch. itaque duo decocti ejus (Rheô pro re nata adjunctô) tertiis horis exhibebantur cùm puſtulæ citò rariores fierent, & febris remiſſior : ejuſdem autem remedii uſu conſtanter pergebat donec pedetentim, & abſque minimo faſtidio, ad priſtinam valetudinem reſtituebatur.

Uxor Dom. L. anno circiter viceſimo quinto, quæ fluorem album diutiùs paſſa fuerat, vultu etſi vegeto ſanguineoque; febre miliari decubuit, puſtulis ſubrubris per totam corporis ſuperficiem diſperſis. Cùm ſeptimana autem jam una & altera elapſæ fuerint, & febris continua in remittentis ſpecimen tranſierat; emeticô & hauſtu ſolutivô præmiſſis, cortex Peruvianus copiosè ſatìs ingerebatur, cum febris levamine, & maxima ſimul puſtularum decreſcentia. Cùm ob autumnalem autem anni tempeſtatem (non obſtante corticis uſu) ſæpius rebellis uſque fuiſſet, emeticô ad tertiam vicem repetitô, & corticis, cum marte ſociati, liberaliori uſu, plenè convaluit.

Viduæ circitur 40. annorum macilentæ & quæ a Londino in vicum paluſtrem hoſpes nuper devenerat; poſt tertianam ſæpius recidivam puſtulæ miliares conſertim erupèrunt, per totam corporis ſuperficiem

efflorefcentes. Morbi *veram indolem* parum ſuſpicans & ad *ſcorbuticam quandam diatheſin* reſpiciens, quæ *ſanguinis acrimoniam attemperarent* præcepi. Quibus nil proficientibus, & cùm eruptiones tertianæ veſtigia præ ſe ferentes, & alternis diebus repullulantes adhuc urgebant, cortex hiſce ſociatus uſurpatur. Formâ autem ob molem aliquatenus nauſeante, ſolo ejuſdem uſu perſtabat; & ejus ope morbum debellatum prorſus fuiſſe judicavi. Aſt cum ob regionis intemperiem (cui minùs aſſueverat ſemel iterumq; renatus fuerit; eodem remedio, deobſtruentibus adjuto, emeticorum ſimul uſu ritè præmiſſo, toties profligabatur, donec tam remediorum, quàm morbi (uſq; recidivi) tædiô affecta, & ab iterato cælum mutandi conſilio aliena, ad empiricum ſe contulit, & paulò poſt eam defunctam eſſe audivi.

Caſus hi, quibus plures ſubnecti potuiſſent, corticis uſum in ſpeciebus hiſce febrium miliarium vindicant; nec litem quis moveat, quaſi hac ratione materiæ morbificæ expulſio ſufflaminetur: Quippe febre intermittentis vel remittentis ſpeciem induente, eruptio cum febre prorſus evaneſcit. Et ſi authoritas quid valeat, Sydenhamus ipſe æquè ac Mortonus, authores certè in genere parum conſentientes, in hoc ad amuſſim quadrant.

Ille enim, in ſchedula de nova febre puſ-

tulis miliaribus plerùmque ſtipata; aſſerit ſe poſt venæſectionem & repetitam catharſin, eam cortici Peruviano (hìc nunquam non triumphanti) conficiendam tradidiſſe. Hic quoque in Pyretologiæ Cap. 4to. inter ſigna intermittentis eruptiones ſcarlatinas recenſet; & has febres, cum vel ſponte, vel arte coactæ, larvas depoſuerint, ſe citò & feliciter China China ſemper curaſſe affirmat. Et cap. 6to. cum ſcarlatinæ ſpeciem induerit, ſe venæſectione & opiatis ejus ſymptomata in ordinem redegiſſe, & finitô paroxyſmô, cortice cum opio adjuncto radicitùs ſuſtuliſſe. Et in hiſtoriis ad proteiformem intermittentis genium elucidandum, caſus 23. & 24. hanc curandi rationem confirmant. Sed animadverſione dignum, quod in caſu priore, cum venæſectione tantum, & opiatis, per decurſum paroxyſmi, perſtabat, non obſtante corticis in intervallis exhibitione, febrim ſtàtim recidivam fuiſſe; & quod cortici ſpurio vel effæto ſaltem, injuriosè forſan imputavit. In altero caſu autem cùm purgatio ritè fuerit præmiſſa, curationem ſatìs feliciter ceſſiſſe.

Hæc, vir digniſſime, habui quorum te participem eſſe cupiebam, iis pro arbitrio utaris, valeaſque.

Dabam pridie Calendas Octobris, 1755.

F I N I S.

APPROBATIO.

Vid. F. JACOBI *S. T. L. Ap. Reg. Lib. pro Germ. Inf. Viſ. & Cenſ. Lov.* 19. *Feb.* 1765.